EPIGRAMMATΩN

OPVSCVLVM DVOBVS LIBELLIS DISTINCTVM.

Quibus lepôris gratiâ,

Homeri BATRACHOMYOMACHIA

Latino carmine reddita, multisq; in locis aucta, post miscellanea quædam subiungitur.

Authore Huntingdono Plumptre *in Artibus magistro Cantab.*

Martialis lib. 7. ep. 8.

——— *facile est epigrammata bellè scribere; sed librum scribere difficile est.*

LONDINI,

Typis *Tho. Harper*, impensis *Roberti Allet.*

An. Dom. 1629.

VIRESCIT
VULNERE
VIRTVS

ERVDITIONE
MORIBVS, ET VIR-
tute multùm ſuſpiciendo, generiſque pro-
ſapiâ non minùs ſpectabili, D. Iohanni Byron
equiti de balneo in Divi Caroli inaugura-
tione, regiaq; eiuſdem maieſtati ab in-
teriore cubiculo,

Huntingdonus Plumptræus *libellum ſuum,*
tùm & ſe ipſum devotiſſimè dicat,
conſecrátque:

CVm, malè favente Lucinâ, in-
auſpicato partu, & planè ab-
ortivo in lucé naſcéretur hic
fœtus meus; jámq; in cunis
aliquandiu delitéſceret: quæ-
ſivi tandèm quis tenello in-
fántulo *ſuſceptor* (pro more) futurus eſſet; ſub
cujus nomine in album librorum aſcriptus,

 fiden-

34

fidentiùs in publicum exiret. Occurris tu in primis (generoſiſſime *Byrone*) ad quem, tanquàm ad tutelarem deum, fautorémque ſuum maximum præſertim accurrere geſtit Muſa noſtra: rogat, obſecrat, inſtat perſonam hanc benignus ut ſuſcipias. Quòd à te verò (cujus ſacro nomine in patrocinandis nugis uti potiùs abuti videatur) iſtis ineptijs tutelam poſtulet; nec ſobriè, nec modeſtè factum arbitror: quod tamen à temulentâ Muſâ fieri, non eſt cùr mireris; quæ ſcilicèt hiſce Saturnalibus dudùm quaſi inebriata, necdùm poëtico furore excuſſo adhùc bacchans, in medium tandèm exilire non erubeſcit. Vt igitur* Cæſari Antonius in Lupercalibus per vicos diſcurrens importunè coronam; ſic tibi è cancellis nunc primùm egreſſa obnixè hunc obtrudit libellum: quem cùm in manus tuas jam receptum certiſſimo quodam augurio mihi præſcius harioletur animus; eundem ego ſeriò, & ſanctiſſimè, tanquam divinum aliquod anathema tuo numini conſecratū volo.

* *vide Plut. in vita Cæſaris.*

ed undè hæc tanta pietas? à ferventiſſimo
rgà tuam familiam zelo: qui in me à pue-
itiâ ſcintillulis quibuſdam ab ipſâ naturâ (ut vi-
detur) accenſus, jámq; indiès, aſpirãte favoris
veſtri aurâ, magis magíſque auctus, in haſ-
ce demùm flammas erupit: quæ adeò pectus
meum incenderunt; ut nec relligioni, nec ti-
bi, ne dùm mihi ſatisfactum iri poſſe crede-
rem, niſi votivam hanc nomini tuo arulam
(quod in divorum honorem antiquitùs fieri
ſolebat) iſtâ qualicunque inſcriptione dedica-
rem: è quá demùm ſi quam nauſeam (ut ma-
xumè vereor) emunctiſſimis tuis naribus in-
ter ſacrificandum excitârint victimæ; tu pie-
tatis noſtræ moleſtiam ferre, & ſacrificulo
tuo condonãre non gravaberis. Vale (gene-
roſiſſime *Byrone*) diúque Muſarum, generis,
& patriæ ulteriori gloriæ fœlicitèr vive; mé-
que interìm tibi perpetuò emancipatum ha-
be, cujus,

——*Dum lumen vitale tenebo,*
Serviet officio ſpiritus uſque tuo.

Ad eundem Anagramma.

Ioannes Byronius *eques thermarum.*
En, Musâ virebis, quem Syren honorat.

SI Musâ non fortè meâ, saltèm ipse virebis,
Quem decorat Syren Pieridésque, tuâ.

De

De Authore ad Lectorem.

QVod legis hìc Plumptræus *opus dedit; ille poëſis*
Plumptræus *Clarij primus in arte chori:*
antum qui meritâ jam ſcandit in æthera famâ,
Quantam in Cyrrhæum ſcanderat antè jugum.

Nich. Byron.

Ad Lectorem in doctiſſ. Authoris Epigrammata Τετράστιχον.

CArmina Phœbeio vis dulce ſonantia plectro,
Sublime ingenium, Pierióſque jocos?
Hos lege Plumptræj *luſus; qui colligit iſto*
Quod Charitum, Phœbi eſt, Aonidúmque libro.

Rich. Byron.

In Authoris opus carmen Encomiaſticon.

PLumptræi *an dicam hæc, an Phœbi neſcio; totum*
Cum ſic numen opus ſpiret Apollineum:
Quid niſi Phœbêium daret hîc Plumptræus, *Apollo*
Scribenti genium cui dedit ipſe ſuum?

Geo. Aldrich Col.
Trin. Cant.

In laudem Ingenioſiſſimi poëtæ *Huntingdoni*
Plumptre de libris Epigrammatum.

Hæc tua tam ſapiunt antiquũ Epigrammata va
Innocuos ludit dum pia Muſa jocos:
Vt non jam contenta unum peperiſſe poëtam,
*Téque etiam cupiat * Bilbilis eſſe ſuum.*

* Oppidum ubi natus eſt Martialis.

Ad Lectorem.

Feſta velis, quæ convivis apponere nôrunt
Numina Caſtalias quæ venerantur aquas?
Ecce librum cunctis natum arridere palatis!
Vel tibi feſta dabit, vel dabit iſte ſales.

Tho. Randolph. Coll.
Trin. Cantab

Errata.

Lib. 1.

XXII. post φιλέει apponatur *colon*, & post θαυμάζεις *interrogatio.*

XXXVII. post φιλῶ *colon*, ὃν μισῶ *colon*, & ζῆν θέλες *interrog.*

XLV. pro *moriturus* lege (*si mavis*) *luiturus.*

LXVIII. *In tenues mentita abierunt ora*, post *favillas*, pro *interrog. colon.*

LXXXI. Η δ' αὐτος, *colon.*

CVIII. pro *vendicat* lege *vendicet.*

CIX pro *anus* lege *avus.*

Lib. 2.

XVIII. pro *qui* lege *quis.*

XCII. pro παρεκω lege παρέχω.

EPIGRAMMATVM LIBER PRIMVS.

I.

Ad illustrissimum & eruditissimum D. Iohannem Byron equitem balnei.

DVm tanto indulget nimiùm tibi Phœbus alumno,
Bis tua Castalijs pectora mersit aquis;
Nec satis hoc artes tibi sic tribuisse putauit,
Artibus at radios addidit ipse suos.
Quò genus & patriã illustres; iubar vsq; refulgens,
Hoc animi terris sparge Byrone tui.
I randèm splendere polo; sed sera moretur,
Quæ tenebras nobis nox dabit, astra tibi.

II.

Amicissimo D. Nich. Byron Armig. donat libellum suum.

OVernæ decus vnicum iuventæ,
Qui Musas colis elegantiores,
Medulla ingenij, Venus leporum,
Hos Byrone legas, licèt molestum est,
(Vanæ ludicra, inaniaque Musæ)
Delirantis amiculi libellos;
Nugaces, teneros, leues, ineptos,

Crassos,

Crassos, rusticulos, inelegantes,
Molles, ridiculos, & infectos:
Aut ergò fer ineptias poetæ,
Aut salrèm fer ineptias amici.

III.

Ad Lectorem.

QVæ bona sunt, lege; quæ mala, neglige: convenit uno hoc
Vt mihi tu placeas, lector, ut ipse tibi.

IV.

In utramq; Academiam.

BInæ estis, geminum Parnassi culmen; utrique
Par decus, & priscæ nobilitatis honor.
Æmula quid sic vos agitatis? nulla duarum
Impatitas; vobis cedite, neutra prior.
Conferat Aonio si quis tamen *ISIDA CAMO;
Præferri an PONTEM censeat, anne VADVM?

**Duo flumina, quorum hic Cant. ille Oxon. alluit, unde utriq; nomen: Cantabrigia enim vernaculo idiomate nihil aliud quam CAM PONTEM sonat; Oxonium vero Anglice quasi ISIDI VADVM Lelandus dictum autumat. Vide Camdenum.*

V.

Ad amicissimum & cocianeum D. Iohannem Parkins Armig.

BIs nobis duo lustra retrò numerantur, & annus
Cum cæpit nostras vellere Parca colos:
Vna dies utrumque tulit; sic currite fusi
Æquales, ut nos auferat una dies.

VI.

In Nævolum Puritanum.

NÆuole ſanctus homo es; quid homo eſt vis noſcere ſanctus?
Illud quod non es, Nævole, ſanctus homo eſt.

VII.

De Phyllide ægrotante & Hylo medico.

MEmbra dolens rigido correpta algore iacebat
Phyllis, ad infernas Diuis itura domos;
Ecce vocatus opem ægrotæ parat Hylus: utrique
Aſtitit, inque ſinum huic ſpicula miſit Amor;
Quèis imo poſtquàm transfixus pectore vulnus
Accepit, ſimulans pharmaca, PHILTRA dedit.
Quæ modò frigebat, rapitur contraria flammis;
Occultaſque hauſto concipit igne faces:
Iamque nouo ſine fine perens medicamina morbo,
Neſcio quæ accepit baſia, conualuit.

VIII.

In Ponticum avarum.

POnticus eſt diues; quid ni? cui fœnore largo
Debitor aſſiduas reddit & auget opes:
Pauperior nemo tamen eſt quàm Ponticus; unde hoc?
Nèn ſemel acceptas arca recludit opes.

IX.

In nuperum quendam nobilem & inſignia eius.

QVi nupèr patrios egit per rura caballos,
Purpureâ ſplendens iam ſolet ire togâ:
Sed cave ne probrum objicias; nam qui antè flagellum,

Nunc gerit arma, nigrâ nobilitatus aue:
Quali? aquilâ; ſed quæ caret vnguibus: ô ſcelus ingens,
Armiger ut dominus, non tamen ut ſit avis!

X.

De Fauſtino & Amillâ ad Aulum.

QVòd vetulam juvenilis amet Fauſtinus Amillam;
Deſine mirari, hoc (Aule) Cupido facit:
Aule Cupido facit; ſed nec facit Aule Cupido:
Nèn Deus hoc, cenſus (Aule) cupido facit.

XI.

Ex Græca.

FVne parans lethum invento laqueum abjicit auro;
Quo ſolùm inuento, qui poſuit, perijt.

XII.

De crumenâ-ſecta.

CAllidus occultâ cuidam fur arte crumenam
Abſtulit, & tacitâ cœpit abire fugâ:
Senſerat ille, ſequens aurem abſcidit enſe, querenti
Reſpondit; Zonam redde, cape auriculam.

XIII.

De Eccleſiâ D. Stephani Viennenſis Auſt. Cui pyramide Semi-Lunam *ferat.*

DVm ferus æquoreum furit armis Turca per Iſtrum,

Perit

Ponit & ad muros caſtra * Vienna tuos,
Horrida ſulphureis cum mitteret undíque flammis,
Mœnia fulmineos machina in alta globos;
Ipſa quoque hoſtiles ſenſiſſem victa furores,
Ni precibus victor cederet ipſe meis:
Hoc ego condignas referens pro munere grates,
Turcica ſervato vertice ſigna fero.

* *Quam anno 1529. irrito conatu Turcæ obſidentes in urbis ardua tandem effulminare cæperunt; & cum in ipſum Eccleſiam excitatis molibus tormenta iam molirentur, orati demùm per legatos vim hoſtilem aliò diverterunt, pallio prius; ut in perpetuam conſeruatæ Eccleſiæ, & hoſtilis clementiæ memoriam,* Semi-Luna *(Turcarum inſigne) pyramidi eius infigeretur.*

XIV.

Ad Laïda.

TE peto Laï, negas; nil mirum, aliíſque negare
Laï ſoles; duro reſpuis ore procos:
Nemo hominum ſi, Laï, placet tibi; Iupiter ipſe
Te petat, at qualis cùm peteret Semelem.

XV.

Ad amitinam D. Mariam Minſhall.

TAnta tibi niveo ſplendeſcit gratia vultu,
Haud rubris verno tempore quanta roſis;
Quanta nec occulto, rutilanti, ſole, pyropo;
Quanta nec aſtrifero nocte micante polo:
Quæ flores tamen, & gemmas, & ſydera vincit,
Hæc animo cedit forma (Maria) tuo.

XVI.

*In * Phyletam Comm.*

PLumbeus induitur pedibus tibi calceus, hoc eſt
Quòd ventos metuis, quippè puſillus homo es:

Quid

Quid si nexa forent grauibus tua crura talis?
Sic ventos (mirum) vincla domare queant.

* *Homuncionem quendam ita leuem & macilentum vt plumbeas solea calciamentis adhibere solitus sit, ne ventis projiceretur.* Ælianus 9. 14.

XVII.

De Cœlia ad D. Nich. Byrom.

ILla Cœlia, Cœlia illa, quam sic
Mirari soleo, & stupere; cuius
Tantùm fama tuas repleuit aures,
Qualis sit rogitas, Byrone? dicam:
Recto corpore, cruſculo eleganti,
Arguto pede, ventre preſſo, ad æquum
Libratis humeris, manu tenellâ
Et parvâ, digitis arundininis,
Sericâ cute lacteâque, pulchris
Sub cervicula eburneâ papillis,
Vultu sidereo, aureis comarum
Per Sapphirina vtrinque pendularum
Cirris tempora, gemmeis ocellis,
Nigellis cilijs, decente naſo,
Lævi fronte, coralinum labellis
Ruborem simulantibus, geniſque
Roſarum gemino colore pictis;
Talis denique Cœlia eſt, Apelles
Qualem Cyprida pinxit in tabellâ.

XVIII.

In Gellium incarceratum.

ÆDificans magnam exhauſit bona Gellius aulam:
Vt male nunc habitet Gellius, aula facit.

XIX.

In Posthumum tenebrionem.

QVòd malus & nòn sis infamis Posthume; cautè
Hoc factum est: mores fama notare solet.
Sed malè si qua facis, facis omnia, Posthume, noctu;
Nemo videt: famam sic fugis vsque malam.
Sempèr ut hanc fugias, vigilans sis Posthume; eandem
Vt fugias, saltèm (Posthume) ne vigiles.

XX.

Epitaphium morionis.

NEc benè vitam egi, sed nec malè; sic & obivi:
Hic habet ossa locus; dic animam quis habet?

XXI.

Ad illustriss. D. Ioh. Byron eq. b.

QVod te sulphureæ decorant insignibus vndæ,
Nomen & à CALIDIS nobile ducis AQVIS;
Nòn fortuna tuos, natura sed auget honores,
Cùm tibi dent fasces IGNIS & VNDA novos:
Sic te TERRA beet; sic tandem ex ÆTHERE summo
Addita sit reliquis quarta corona * tribus.

* *Allusio ad symbolum huic ordini peculiare, videlicet orbiculum rubrâ fasciâ suspensum, & tribus coronis sub una maiori quasi coëuntibus insignitum; additâ hâc epigraphe-* TRIA IVNCTA IN VNO.

XXII.

De Aulo & Varâ deformi.

Ἔτι μέλαινα Βάρη· ἢ τοὶς ἄνθραξι μὲν εἴκει,
Ἠδὲ ῥᾷ τῷ καπνῷ, ἠδ' αἴδαο σκότῳ.

Πῶν δ' Λυλος φιλέει· θαυμάζεις; οὐ μόνον ἦτορ,
Ἀλλὰ καὶ ὀφθαλμοὺς αὐτῷ ἔτρωσεν ἔρως.

XXIII.

In obitum principis verè Augusti, Iacobi Britanniarum, &c. monarchæ, Fidei, Musarum, *&* Pacis *patroni longè celeberrimi: obijt febre confectus Martij 27. Anno Dom.* 1625.

QVæ Britonum decorare solet Capitolia *Laurus*
Heu, iacet; & vulsis marcet *Oliva* comis:
Scilicet in tristem fatis abiere cupressum,
Dum crebo in terras *Mars* aquilone furit.
Proh mala! num æthereos patitur nunc fulminis ictus
Laurus? an immodici frigus oliua gelu?
Par damnum est utriûsque: gravi dum membra Iacobus
Febre calet; neutri parcere flamma velit.
Nunc lachrimis exundet humus; sic laurea frondes
Fortè suas repetat, sic & oliva comas.

XXIV.

In eundem.

COnvenisse simùl fama est *Elementa*; Iacobi
Suprema exequijs soluere iusta pijs.
Viscera *Terra*, sinum lanians, fodit; inque selpulchrum
Imam defuncto grata recludit humum:
Tamisis hoc regum per mausolæa volutus
Flens petit, ut mæstis busta salutet *Aquis*:
Aura gemit, crebróque edens suspiria flatu
Ventilat extructos officiosa rogos:
Mòx piceo obductus fumi caput *Ignis* amictu
Exiliens, frustrà hoc munus obitis ait:
Scilicèt hìnc cineres vanum expectare; Iacobi
Pars omnis Cœlo debita, nulla solo est:
Dixit; & accensis membris incendia flammis
Miscuit, & *Stellam* misit in astra nouam.

XXV.

De eodem, ad augustiss. eius sobolem & successorem Carolum, &c.

Postquàm iter emenso Phœbus confecit Olympo,
Finísti imperium (magne Iacobe) tùum:
cum sole novum ingressus fœlicitèr annum
Tempora da populis, Carole, *Verna* tuis.

XXVI.

De eodem.

VNdè tot in Cœlo nebulæ? vis scire? Iacobi
Exurgunt atro nubila tanta rogo:
rgò age Phœbe tuo gratus post fata patrono
Adde iubar; Cœli fletibus vndet humus.

XXVII.

In statuam eius.

MArmor eras; vivus cum desit esse Iacobus,
Tu quoque desisti, marmor, & esse lapis:
am tibi Cæsareos ficto arsit pyramine vultus
Induit, & regis vivere morte dedit.
ic tu animal, sic ille Cinis: quis *Marmora* credat
Vivere, *Iacobum* vel potuisse mori?

XXVIII.

In eandem.

SI saxis anima, & defunctis vita negatur;
Hanc saltèm spirent ambo per effigiem:
Marmore quòd Cæsar vivat, quòd Cæsare marmor,
Præstitit artifici sculptor utrúmque manu.

Epitaphium

XXIX.

Epitaphium eius.

PRima Caledonijs cui lux affulsit in oris,
Hic iaceo Angliaco raptus ad astra solo:
Quem Scotis Lucina dedit, Parca abstulit Anglis,
Altera habet cunas, altera gens tumulum.
Non potui his maior accidisse, beatior illo;
Hinc petij regnum sceptriger, inde polum.

XXX.

Aliud.

CÆsaris hic umbra est; sed die ubi Cæsar? in astris:
LVX micat in cœlo, qui iacet VMBRA solo.

XXXI.

Quod sub æquinoctium vernale mortuus sit.

REddita iam Phœbo par nox venientis diei est,
Iacobo nocti par abeunte dies.

XXXII.

Quod die solis obierit, cuius vespere Carolus rex renunciatus est.

NOx aderat, quam fata tibi (Iacobe) supremam
Vovere, & tenebras nunc primum Aurora fugârat
Phœbêium vectura diem; iam surgere Titan
Incipit, & liquido evectus temone cubili,
In solitas dat lora vias, gradibusque repente
Flammigero rapitur summa inter sidera curru:
Vix medium celeri cursu transcenderat orbem
Splendidior, radijs micat undique, & undique cœlum;

Cum

Cum subitó inuolui sensit caligine terras
Insolitâ, atq; nouos altè consurgere fluctus,
Et gemitu mugire polum, micatur, & alto
Cans summo temone solum despexit Olympo;
Dumq, oculos late, astonitus per singula voluit,
Pallida defuncti conspexit membra Iacobi;
Non saltém hæc spectâsse velis, iunc mergere flammas,
Deyùs ad pontum fugiens properauit Iberum.
Cùm tellus Britonum alma parens velamine tristi,
Indutum Caput attollens, & squallida luctu
Talibus affatur dictis; quid cóndere solem,
Phœbe paras, & damna meis superaddere damnis?
Nón satis est magnum flammis cecidisse Iacobum?
Pergat & in nostram iam sæuior vnda ruinam?
En! Lachrimis vt stagnat humus, largoq; minatur
Diluuium dolor imbre nouum; nunc sentiat æstus
Terra tuos, radijsq; abeant siccantibus vndæ.
Dixerat: ille retró curtè, se protinùs, acto,
Rettulit; inq; Solum maiori lampade fusâ
Vndantes siccauit aquas, terramq; retexit;
Vt iubare expurgauit humum, nec iam amplius ægros,
Solis posse pati mortales lumina vidit,
Æquora mæstus equis subijt: & iam noctis opacæ
Extulit vmbra caput gemmatum sidere crebro
Depictura polum; subitâ cùm luce refulsit
Carolus in terris, cœlo noua stella *Iacobus*.

XXXIII.

Litteratissimo D. Rob: Theobalds nupér archidiascalo Notting. & præceptori suo libellum donat.

Quód scribo, Theobalde, tuum est tibi dono libellum
Siué meum liceat dicere, siué tuum.

In

XXIX.

Epitaphium eius.

PRima Caledonijs cui lux affulsit in oris,
Hic iaceo Angliaco raptus ad astra solo:
Quem Scotis Lucina dedit, Parca abstulit Anglis,
Altera habet cunas, altera gens tumulum.
Non potui his maior iacuisse, beatior illo;
Hinc petij regnum sceptriger, inde polum.

XXX.

Aliud.

CÆsaris hic umbra est; sed die ubi Cæsar? in astris:
LVX micat in cœlo, qui latet VMBRA solo.

XXXI.

Quod sub æquinoctium vernale mortuus sit.

REddita iam Phœbo par nox venientis diei est,
Iacobo nocti par abeunte dies.

XXXII.

Quod die solis obierit, cuius vespere Carolus rex renunciatus est.

NOx aderat, quam fata tibi (Iacobe) supremam
Vovere, & tenebras nunc primum Aurora fugârat
Phœbêium vectura diem; tam surgere Titan
Incipit, & liquido evectus temone rubili,
In solitas dat lora vias, gradibusque repente
Flammigero rapitur sumnum inter sidera curru:
Vix medium celeri cursu transcenderat orbem
Splendidior, radijs micat undique, & undique cœlum;

Cum

Cum subitó inuolui sensit caligine terras
Insolitâ, atq; nouos altè consurgere fluctus,
Et gemitu mugire polum, mirgatur, & alto
Stans summo temone solum dèspexit Olympo;
Dumq, oculos late, attonitus per singula voluit,
Pallida defuncti conspexit membra Iacobi;
Non saltém hæc spectâsse velis, nunc mergere flammas,
Ocyùs ad pontum fugiens properauit Iberum.
Cùm tellus Britonum álma parens velamine tristi,
Indutum Caput attollens, & squallida luctu
Talibus affatur dictis; quid cóndere solem.
Phœbe paras, & damna meis superaddere damnis?
Nón satis est magnum flammis cecidisse Iacobum?
Pergat & in nostram iam sæuior vnda ruinam?
En! Lachrimis vt stagnat humus, largoq; rigatur
Diluuium dolor imbre nouum; nunc sentiat æstus
Terra tuos, radijsq; abeant siccantibus vndæ.
Dixerat: ille retró curtè, se protinùs, acto,
Rettulit; inq; Solum maiori lampade fusâ
Vndantes siccauit aquas, terramq; retexit;
Vt iubare expurgauit humum, nec iam amplius ægros,
Solis posse pati mortales lumina vidit,
Æquora mæstus equis subit: & iam noctis opacæ
Extulit vmbra caput gemmatum sidere crebro
Depictura polum; subitâ cùm luce refulsit
Carolus in terris, cœlo noua stella *Iacobus*.

XXXIII.

Litteratissimo D. Rob: Theobalds nuper archidiascalo Notting. & præceptori suo libellum donat.

Quód scribo, Theobalde, tuum est; tibi dono libellum
Siué meum liceat dicere, siué tuum.

XXXIV.

In Linum poëtastrum.

SCribere nil siccus potis est Linus; udus Iacchum
Invocat, & subitâ carmina scribit ope:
Quæ Linus in *Vino* scribit, sic usque supersint,
Vt simul hæc ætas postera scribat *Aquis*.

XXXV.

De Mario.

DIfficili Marius tardatus membra podagrâ,
Sic fertur magnos iucrepuisse Deos:
Quid misero mihi vita manet? si cruribus uti
Non datur, at Stygijs nare licebit aquis.

XXXVI.

In Regale Collegium Cant.

EST tibi marmoreum pinnis sublime sacellum;
Quæ lita stramineo, lignea at aula, luto:
Hæc duo qui confert; aut hoc Regale sacellum,
Aut hanc Regalem non putet esse domum.

XXXVII.

Ad Marcum Paranesis.

Πάντας ἀπεχθαίρων, καὶ ἀπεχθάνη αὐτὸς ἅπασιν.
Μάρκε φιλοῦ· φιλίην αἶρε, καὶ αἶρε βίον.
Μάρκε φιλεῖς; φιλέω, μισεῖς; μισῶ· ὁ δ' ὄλοιτο
Μάρκε τις, ὃν μισῶ· ζῆν θέλος; ἴδε φιλῶν.

Latinè.

VIvere si delectat, ames; odium fuge, nulli,
Marce, noce; absque hominum vivere amore, mori est.

XXXVIII.

Ad R. S.

FÆnus, tot pariat quòd æra zonæ
(Vt Varroni etymon placet perito)
A fætu sibi nomen hoc adeptum est:
Cùm nullus tibi sit (Robine) fætus
Cur vulgo malè fænerator audis?

XXXIX.

Pro domo clarissimi equitis D. Ioh. Byron inscriptio.

QVòd me dispositæ decorant utrinque columnæ;
Alta quòd æthereum culmen in astra fero;
Tot mea quòd claræ rutilant per septa fenestræ,
Cælatásq; frequens ornat imago fores;
Quisquis es, haud ideò me suspice: forma superbam
Non facit, in saxis nec mihi tantus honor.
Mænia quid iactem, vel opus? colere ista Byronum
Maius, quàm artifices excoluisse decus.

XL.

Ex græco.

HOstes cum fugeret gnato Spartana Laconi
Occurrens, timido condidit arma sinu;
I patrium mentite genus, mentite paternum,
Ad Stygias fugiens nunc fuge, dixit, aquas.

XLI.

In pontem Tamisinum Lond.

IAm legem patiantur aquæ; vix præbuit olim
Ponte viam; præbet Tamisis (ecce) domum.

Structa

Structa inter domitos nunc surgunt mœnia fluctus,
Hospitiumque nouo dat levis unda solo:
Pons transit, stabilique ædes super amne columnâ
Portat, & invitis stat pede firmus aquis:
Huc ruit, & tumido portas extendere fluctu
Dum parat, in varias scinditur unda vias:
Iam sileat, rapidum secuit qui in flumina Gangen;
Divisumque freto iunxit utrumque solum;
Aut trabe qui indomitas Rheni compescuit undas;
Nobilius, Tamisim quod superavit, opus.

XLII.

De eodem.

STare suis ædes Tamisis cum cerneret undis,
Et geminum audaci ponte coire solum;
Substitit, & torvo Naturam lumine spectans,
Hæc indignanti murmure dicta dedit;
Nòn satis est conto subigi, & dare piscibus undam?
Terrarumque meis incola degat aquis?
Egregias rerum leges! habitata profundum
Mœnia iam portat flumen, & instar humi est:
Scilicet ut nostras iungens hæc machina ripas,
Sic me calcandum præbeat usque, feram?
Dixit, & irato ruit in fundamina fluctu,
Sed frustra; hinc gemitu, cum subit, unda fremit.

XLIII.

Ad fratrem seniorem D. Nich. Plumptre.

QVòd priùs æthereas venisti natus in auras,
Ergò hæres patrios primus inibis agros:
Quod si me peperisse velit Lucina priorem,
Vt prior ipse fores, vel nihil ipse forem.

XLIV.

Epitaphium Vacerræ bibonis nobilissimi.

VIni spongia, doliorum hirudo,
Potorumque comes celebriorum,
Hìc Vacerra iacet : caue molesto
Ne planctu in tacitum strepas sepulchrum;
Nam tantùm ebrius hîc Vacerra dormit.

XLV.

Ad Crispum.

CRispe deos si quando rogas, nil præter honores,
Imperium, vitam, divitiasque rogas :
Sic pastas Phaëton petijt, [illegible] habenas,
Fulmineum Semele sic peritura Iovem :
Cum fulvo esuriem Mida sic temerarius auro
Optavit ; mala sunt, quæ tibi (Crispe) velis :
Vis nòn esse miser ? superest hoc, Crispe, rogare ;
Vt renuat votis Iupiter usque tuis.

XLVI.

De Pompeij statuâ Iul. Cæsarem alloquente, ad cuius basin in senatu confossus occubuit.

* Vide Plut. in vita eius.

CVm Pompeianâ caderet sub imagine Cæsar,
His super hostili est corpore fata modis :
Postquàm ego Pompeius *Cecidi*, te *Stare* putâsti ;
Nunc me Pompeio *Stante*, tyranne *Cadis*.

XLVII.

De Æmilio ad Posthumum.

ÆMilius mihi quinque minas pro fænore debet ;
Assore cràs urbe hìc dicitur Æmilius ;

Hunc

Hunc quæro; occurris tu Posthume, seria mecum
Dicis habere, tuos me trahis usque lares;
Hic mihi, nescio quid, longo sermone susurras;
Ex urbe interea labitur Æmilius:
Vis audire libens, verum vis Posthume dicam?
Tu mihi iàm debes, Posthume, quinque minas.

XLVIII.

Epitaphium honoratiss. D. Ioh. Byron eq. aur. nuper defuncti.

HÎc situs ad * tumulum iacet Byronus auitum;
Vna simul geminum terra cadauer habet:
At tibi, marmor, avi sat erit meminisse perempti;
Ora mihi famam, non monumenta dabunt.

* *splendidiss. avi eius sepulchrum quod proximè inhumatus est.*

XLIX.

Pro anonymo eius sepulchro.

QVi legis, hoc nomen miraris abesse sepulchro?
Conditur hâc nullo nomine corpus humo:
Ergò quis hîc? rogitas? promptu est tibi dicere, nemo:
Hîc cinis est, vivum qui modò corpus erat.
Immortale sibi nil vendicat urna; cadaver
Hinc tumulo, haud Nemus debuit ille suum.

L.

Ad Æmilianum causidicum.

LIs mihi cum Caio est, is agas rem Caius orat,
Et dat; agas malè: plus, Æmiliane, dabo.

LI.

In eundem.

QVòd tam facundo causas agis ore clientum,
Vis laudem ingenium, suspiciámque tuum?
Non Pallas tibi labra mouet, sed præmia: quòd sic
Ore vales, non *Ars* Æmiliane, *Lucrum* est.

LII.

Ad D. Nich. Byron.

Δύσμορφος πέλε Γάλλα, τί τοῦτο; καὶ εὔπορος· Αὐτήν,
Καὶ ἅμα προῖκ' ἐτίδων, ἀγλαόμορφον ἐρεῖς.

Latinè.

ESt nigra, quid refert? eadem quoque dives; & ipsam,
Atque simul dotem respice, Cypris erit.

LIII.

Ad quendam fœtido halitu.

ARcani quotiès aliquid mihi dicis in aurem,
Nescio quid nares lædit ab ore meas:
Tot commissa mihi tua cur secreta retexi?
Posthac mî ut cesses dicere in auriculam.

LIV.

Ex Græco.

DVm Phrygio *Æneas* per densos eripit enses
Igne patrem, ad Danaos hæc abiturus ait:
Parcite victores oneri huic; quam parua sit hosti,
Quem gero, præda; mihi, qui fero, grandę lucrum!

LV.

De milite quodam Hollando.

OCcurrens quidam veteris mihi nomine amici
Dixit ave; lacerus totus, & horridulus:
Tunc ego; Tartareâ num quis te misit ab aulâ?
Aut me de Stygijs Pluto salutat aquis?
Abnuit; atque imo quem missum credidi ab Orco,
Nuncius à Batavis hîc mihi venit agris.

LVI.

TABacCO tabes corporis.

Ad avunculum D. Iohannem Parkins, & D. Radulphum Hansby.

ASpicite ut, fumos furuo ejiciente camino,
Inficitur nigro clara vapore dies:
Quod sol in cœlo, cor idem est in corpore; utríque
Flamma nocet fumis, atque *Tabacco* suis.

LVII.

In obitum avunculi D. Georgij Parkins eq. aur. Eirenarchæ longè prudentiss.

IAm, iam fata vocant: ergò Parkinse sub umbras
Ibis, & in tacitam non rediturus humum.
Durum, heu! sed gemitus hos quid tua funera poscunt?
Non potes extremos totus inire rogos.
Quod satis, exuvias migrans, sacráque favillas
Da tumulo; vetuit cætera fama mori.
Iustitiæ & *Pacis* qui tam benè vivus obîsti
Munera, defunctus laude utriúsque viges:
Clarior utrâque, an fœlicior occidis? urnam
Vt beat hæc, animam sic juvat illa tuam.

LVIII.

In eundem.

SI Niobe natos nimiùm dùm luget ademptos,
Marmoreo obriguit saxea facta gelu.
Nil meruas defuncte, nequit tibi deesse sepulchrum;
Marmora si desint, vel dolor ipse dabit.

LIX.

Ad illustriss. D. Ioh. Byron. E. B.

CORpore constat homo atque *Animâ*; pars altera cœlo
Creta, Prometheo est altera ficta luto:
Sic tibi terrenam excoxit *Mens corpore* fæcem,
Vt natum æthereo semine utrúmque putem:
Par (si qua est) tibi sponsa viro contingat; oriri
Credibile est tanto stemmate posse *Deos*.

LX.

In Bavianum detractorem.

TAnta tibi pariunt nostri fastidia versus,
Naso ut suspendas hos *(Baviane)* tuo:
Versibus atque meo quod tu facis ipse libello,
Hoc faciat collo crux *(Baviane)* tuo.

LXI.

Ad virum πολύξενον, *& multis peregrinationibus versatiss. D. Leonellum Plumptre propatruum suum.*

QVæ patria? haud facile est cujas sis dicere; mundi
Pars te quadruplicis non vocat ulla suum:

Gallus es, Hiſpanus, Thrax, Indus, Perſa, Britannus;
Quæ patria eſt? te omnes dic peperiſſe locos.

LXII.

Ad eundem iam ſenem.

TEr deciès duodena rotis ſol tranſijt aſtra,
Externus patriâ dum regione cares:
Intereà oppoſitos luſtras contrarius Indos,
Quæque ſimul gemino littora in orbe patent:
Quà pelago ſol tingit equos, quà ſurgit Eôus,
Vidiſti extremos (qua licèt ire) polos;
Quáque ſecat dubium *Libratus* ſignifer axem,
Permenſa eſt oculis terra fretúmque tuis:
Haud ſupereſt ultrà, poſſis quò tendere, ponto,
Haud terrâ; ulterior vix patet Orbe via:
Cujus ne qua tibi pars incalcanda maneret,
Æthereos tandem pergis adire polos.

LXIII.

De Philone.

CVm Philo divinos peteret malè ſanus honores,
Et ſua delubris ora locanda daret;
Corripuit ſacram furiatâ mente ſacerdos
Effigiem, rapidis impoſuítque rogis:
In tenues mentita abierunt ora fauillas?
Mortales, inquit, nil moror, ille, *Deos*.

LXIV.

Ad Theonillam.

CVm puero Milone, ſimul te Ponticus ambit,
Et cum Hæmone ſenex te petit Vranius;
Ponticus ingenio præſtat, ſed moribus Hæmon,

Formoſus

Formosus Milo, dives at Vranius:
Inter tot Theonilla procos cui nubere mauis?
Vranio: quantum res in amore facit!

LXV.

Ad Cæliæ catellam.

PArva, blandula, amænula ô catella,
Heu quantum inuideo tibi! voluptas
Tu sola atque amor es meæ puellæ,
Cui sempèr Comes assidens, rubella
Lingulâ undíque suaviaris ora:
Et cum te faciles jocosa in iras
Minacem improbulo lacessat ungue,
Ficto purpurea in labella morsu
Insilire, latratiunculásque
Acres edere pertinax solebas:
Mox te dulciculo sinu reponens
Palpat blanda manu, & fovet tenellâ;
Cui tandem roseum in latus recumbens,
Mellitos capis haud negata somnos.
In nostram hæc tibi Cæliam licere?
Beatam ô nimis! ô viris, quot usquam,
Fœlicem magìs omnibus catellam!

LXVI.

In Cinnam πολυπράγμονα.

AStronomum dicis, dicis te Cinna poëtam,
Et medicum; hoc est te dicere, Cinna, nihil.

LXVII.

In amæniss. urbem Nottinghamiam.

QVas tibi sylvestres rupe excidêre Britanni,

A * ſpecubus priſco es nomine dicta cavis:
Poſtera ſi titulum hunc olim mutaverit ætas,
Quod datur à cœlis poſtea nomen erit.

* *Nottingham Saxonicè ſpelunearum domum interpretatur Camd.* vid. in loc.

LXVIII.

In Poſthumum fictum nobilem.

CHrucius hæredem ſcripſit te; hinc nobilis eſſe
Cæpiſti, atque tuum commemorare genus:
Vndè ſatus, ſi fortè rogo; Phrygiâ prius urbe,
Et de Cæſareo ſanguine ſtemma refers.
Quid patruos, atavóſque crepas, ſeriémq; paternam?
Qui te progenuit Poſthume, cerdo fuit.

LXIX.

Ad optimum poëtam D. Tho. Randolph.

QVale Iovis cerebrum, ſacro quod Pallada partu
Effudit, capitis tale (poëta) tui:
Haud impar (Randolphe) Iouis es; *Diuina* cerebro
Ipſe paris, peperit ceu priùs ille *Deam*.

LXX.

In Margaretam Henrici 7. filiam & Caroli regis abaviam.

COnchis edita *Margarita*, cœli
Proles aërio creata rore eſt:
Quidni & cælitùs ut ſit orta credam
Henrico edita *Margareta*? cujus
Olim ſanguine, diſſitæ tot annos,
Se junxere *Roſæ*; roſiſque cœlebs
Se junxit modò *Cardum* gemellis.
Quis jam perſpiciens vel hanc, vel illam,
Vtrámque eſſe negabit *Vnionem*?

LXXI.

De Baræno funambulo.

DVm mediâ saltat iustè libratus in aurâ,
Lapsus ab incerto fune Barænus obit;
Disce per hunc, fortuna bonis quantùm artibus obstat;
Ars cui fune dedit vivere, fata mori.

LXXII.

Ad Posthumum.

VIvere vis? moneo vivas benè, Posthume; fama
Cui perijt, vitam huic & perijsse puta.

LXXIII.

In vinum Hordeaceum *ex græco.*

BAcche quis, aut undè es? per eum qui verus Iacchus,
Haud scio te, solum de Iove nosco satum:
Mel olet hic, tu verò hircum; te Celtica primùm
Edidit ex spicis indiga vitis humus:
Haud ergò Dionysus eris, Cerere ortus & igni;
Nec Bromius, potiùs qui videare Bromus.

LXXIV.

Ira sui ipsius tormentum.

De Manio.

SI quandò subitas Manium furor egit in iras:
Impatiens vestes vellicat, atque comas:
In tabulas amens, calices furit, atque fenestras,
Infestâque ruunt obvia quæque manu:
Vt rabiem expletâ sibi redditus exuit irâ,
Sævitiæ spectans tot nocumenta suæ,
Læsum se, laceras vestes, bona fracta, gemiscens
Plus nulli, exclamat, *quam nocet ira sibi.*

LXXV.

In Charinum Ebrioſum.

QVendam *Diogenes* pudore rubrum
Cùm fortaſſe videret; euge! dixit,
Eſt virtutis enim color rubedo:
Quid ſi fortè tuas, Charine, rubras
Vidiſſet nimio genas lacchо?
Dixiſſet; vitij color rubedo eſt.

LXXVI.

Ad eruditiſſ. Carolum D. Stanhope Baronem de Harrington.

NObilis es Stanhope? parùm eſt; nil gens ſine mente:
Dotavit cerebrum Caſtalis unda tuum.
Doctus es? ars ſine honore, jacet; ſed nobilis idem es:
Sic artes tibi, ſic artibus ipſe decus.

LXXVII.

In Marianam.

NVbere vis nulli, quarè à nemo placet; hoc eſt,
Quod nimiùm placeas tu, Mariana, tibi.

LXXVIII.

In eandem.

DIfficilem peteret Danaën cùm Iupiter, auri
In vetitum fulvo decidit imbre ſinum:
Qui te cunque petit ſponſam Mariana, neceſſe eſt
Sit magis auratus, nec minor ipſe Iove.

LXXIX.

In Olum delicatulum.

HOc nemus, hi fontes, hæc Oli divitis aula est;
Non satis hæc, Olus possidet urbe domum;
Gemmis lucet Olus, Tyrio vestitur amictu,
Per tenera induitur sindone membra cutis:
Dulcis ab ostrifero mensæ venit esca Lucrino,
Assiduæ tellus seruit, & aura gulæ:
Mollia cygnæis requiescunt corpora plumis,
Sternit odoratum purpura clara torum:
Bellè habitat, bellè induitur, bellè cubat idem
Et cænat; *Belle*, non *Bene* vivit Olus.

LXXX.

Ad Zoilum.

NOn stomacho faciunt hæc Zoile forsan, & ergò
Rodis; quid mirum est, Zoile, si macer es?

LXXXI.

De Laide & Demosthene.

Λαΐδ' ἀθηναῖος ποθ' ἐὰν δημήγορος αὐτῇ
Ες τὸ βινεῖν, δραχμὰς ἤτεε τὰς μυρίας;
Η δ' αὐτός· τοσσοῖο περᾶς, φρέν' ὃ δέξει ἐπεῖτα;
Ωνεῖσθω ἕτερος Λαΐ σὲ, οὐ μὲν ἐγὼ.

Latinè.

ATticus orator peteret cum Laida scortum,
Atque in fœmineos vellet inire toros;
Poscenti pretium respondit; postea mentem
Quod crucier, tanti non ego sanus emam.

LXXXII.

Ad amiculum D. Rich. Byron.

PArva velùt gemma eſt, & pulchra; ita parvus, & ipſe
Pulcher es: hâc gemmam te ratione putem.
Ne te hominem, ne te gemmam (Byrone) negarem;
Sis homo, ſis idem gemma (Byrone) hominum.

LXXXII.

Πάθος *ad Caliam.*

TAndèm hos claudite riuulos ocelli,
Haud tantus lachrymis amoris æſtus
Extingui valet: I dolor, nec vltrà
I am ſuſpiria turbido inquietos
Motu in triſtia ſpiritus laceſſe:
Quæ ſic continuò intimis medullis
Ardentes mihi ventilant fauillas.
At vos ætheriæ uuidæque nubes
(Vndè ſunt pluviæ, undè venti, & algor)
Quicquid frigoris humidíque ſuprà eſt,
In hoc fundite pectus æſtuoſum;
Quod mî nocticulis dieculiſque
Ardeſcit miſero, uritúrque flammis.
Cælia, ô mea Cælia! uſque dura es?
Nec te quid miſeræ movent querelæ?
Quid reſtat mihi denuò? num ut igne hoc
Abſumptis tibi victima occidam extis?
Crudeliſſima! ſic mori jubes me?
Nec morbum facili leuas medelâ?
Sin per te hanc animam exui neceſſe eſt,
Da ſaltèm gremio ut tuo reponam.

LXXXIV.

In Cantab.

AReadum, an Aonidum ſedes ſis neſcio; cum tot
Laurigeros habeas, cornigeróſque ſimul.

LXXXV.

In Brunum cruce pendentem.

Hîc ſceleratus humo elatus cruce Brunus in altum,
Ingratum terris aëre pendet onus:
Carnivoræ hùc properate aquilæ, properate rapaces
Corvi; hîc in veſtros præda parata cibos:
Sic Bruno faveat cœlum; tumulatus ut aurâ
Haud poſſit *vermes* palcere, paſcat *Aves*.

LXXXVI.

In Pontilianum querulum ſenem.

TEmpora ſunt mala, nil aliud; mala tempora, in ore
Hoc unum ſemper (Pontiliane) tibi eſt:
Dolia ficca jacent, parco nitet igne culina;
Temporibus vitium hoc, Pontiliane, refers:
Aureus incedit Titius, plumâque ſuperbus;
Temporis accuſas, Pontiliane, vices:
Prodidit Harpinus veterem malè fidus amicum
Tempora! ſuſpirans, Pontiliane, crepas:
Sunt mala quæ culpas, fateor, mala tempora; ſed tu
Temporibus pejor, Pontiliane, malis.

LXXXVII.

In Cinnamum μωρόσοφον.

INgenioſus homo, & ſapiens quoque Cinname es idem:
Non nego; ſic alij Cinname, & ipſe putas.

Conſulis

Consulis, auscultas, simul arguis, atque iocaris;
Quod dicas aliquid Cinname semper habes:
Non facile adversos naturæ fingere mores;
Omnia cùm egisti Cinname, *Stultus* eris.

LXXXVIII.

De Hispaniâ.

QVòd te fama refert opulentam Hispania, verum
Quis credat, sterilem quam quoque fama refert?
Exteriùs sol vrit agros, intúsque calores
Sulphurei; raris imbribus arua madent:
Vix Cererem tellus, vix pressa tyrannide Phœbi
Gramina fert; *Mauris* digna erat una coli:
Arida, rupe horrens, frugum indiga, plena metallis
Solùm Tartareas prodiga fundit opes:
Haud pecorum infœcunda greges parit, aut armenta;
Quid multis? regio vix parit ista homines:
Inter sulphureos propè solem nate caminos,
Quam Britonum terras incoluisse velis!

LXXXIX.

In hirsutum quendam.

HIrsuto quòd grande caput tibi vellere turget,
Setosisque horrent aspera membra pilis;
Nil tam sylvestris mores mentitur imago:
Tu similis menti barbare, mensque tibi.

XC.

In eundem.

HOrridus es; quid ni? te cum natura crearet;
Produxisse hominem noluit, at Satyrum.

XCI.

Mariæ piæ fœminæ Epitaphium.

MAria hîc ſita ſum; ſed non totam iſta Mariam
Vrna habet: ætthereos pars tenet vna polos.
Quiſquis ades, plorare veto; ſic flere peremptam
Non dolor, invidia eſt: mortua vivo magis.

XCII.

In auarum.

AVgens rem, minuis vitam: quis opum furor? ævi,
Auri ut plus habeas, vis minus eſſe tibi?

XCIII.

De Varino.

OStentat digito annulum Varinus,
Cui fulgens adamas acuminato
Infixus capite eminet: feneſtris
Hoc cælare ſuum omnibus Varinus
Nomen cum titulo ſolet: feneſtris
Tantum ferre decus putat Varinus
Nomen cum titulo ſuum. Vt ſit ergò
Saxis tam benè, quam benè eſt feneſtris;
Defuncti citiùs, precor, Varini
Nomen cum titulo ut ferat ſepulchrum.

XCIV.

Ad Cæcilianum.

OCcurris quotiès mihi Cæciliane, ſalutas:
Vis re ſalutari Cæciliane? *Vale.*

XCV.

In Elizam quandam.

PIngere pictoris, vatis sed fingere; vivam hic
Picturam, haud vivens ille poëma facit:
Nil te pictorem refert, an dixero vatem;
Nam pingens faciem fingis Eliza tuam.

XCVI:

Inscriptum Delphini Cantab.

H πδῖ ἢ ἄπδι.

VEl *pota*, vel *abi*? quid habes potare? falernum,
Mulsa, merum; calices I, fuge, prome duos:
O dulcis sapor! his alios adde insuper; ohe!
Nec *potare* mihi, jam nec *abire* licet.

XCVII.

De eodem.

VT maneam tecum, haud adeò potare necesse est:
Nec te amo, neve tuos (Hammoniane) cados.

XCVIII.

In mendicum vagabundum.

ACcedis, lachrymásque ciens me pauca pudico
Ore petis; sisto, tu quis es? undè? rogo.
Suspiras, & mille vices, Casúsque revolvens
Nil nisi fortunam, pauperiémque crepas:
Quòd miser es, mendice, facit fortuna; fatemur:
Quod fortuna facit, tu simul (erro) facis.

XCIX.

Ex graco.

REs juveni mihi nulla, ſeni jam multa: ſed uti
Cùm poteram, haud habui; nunc habeo, uſus abeſt.

C.

Ad ſereniſſ. Carolum Britanniarũ, &c. regem.

QValitèr æquoreis cum ſol caput abdidit undis,
Orta novum ſpargunt ſidera in orbe jubar:
Carolus eclipſim reparans ſic luce paternam,
Nunc ſubit Angliacæ fulgida ſtella plagæ:
Sole procul poſitis quòd jam lux tanta ſit oris,
Hoc debent radijs (Carole dive) tuis.

CI.

In obitum clariſſ. viri D. Gul. Olrenſhau ſocij Iohannenſis, quondam tutoris ſui.

MVſarum genius Britannicarum
Artes tam benè qui, ſcientiáſque
Doctus calluit; eruditiorum
Flos Olrenſhavius virûm receſſit,
Vmbrarum malè raptus ad tenebras:
Luge Parca ferox, vel erubeſce
Funus tam grave, & omnibus dolendum.
Iam fundat lachrimas ſilex negatas,
Tellus perpetuo madeſcat imbre,
Cami fletibus arduas repleti
Ripas grandior inrumeſcat unda.
Quis tantæ gemitus ſatis ruinæ eſt?
Heu! heu! Perides venite; flores
Ferte huc, & lachrimabiles cupreſſos:
Ne quis flendo modus ſit; Hippocrene

Veſtras

Veſtras ſentiat auctior quærelas.
Tuque ô Phœbe novem decus ſororum,
Doctorúmque patrone, qui coruſcam
Cœli lampada poſſides; alumni
Quas digno exequias dabis ſepulchro?
Eia, jam radios reconde; cœlum,
Et tellus habitu induantur atro,
Tanti (huic par nequit is ſed eſſe fato)
Luctûs conſcia, flebiliſque damni.
Muſarum genius Britannicarum
Artes tam benè qui, ſcientiáſque
Doctus calluit; eruditiorum
Flos Oxenſhavius virûm receſſit.

CII.

De Cœlio poëtaſtro.

CArmina cur ſcribit turgentia Cœlius? hoc eſt,
Carmina quàm ſcribit Cœlius, antè bibit:
Sic ubi ſpumoſos ſol imbre impleverit amnes,
Multa ſuper tumidas bulla reſurgit aquas.

CIII.

Ad illuſtriſſ. D. Ioh. Byron eq. b.

ÆMula naturæ ars movit certamen, & arti
Natura; ipſa tuo corpore lis agitur:
Hæc tibi per vultus formam, & per membra decorem
Induit; & parte hac vendicat eſſe prior:
Illa animo mores, ſimùl ingeniúmque cerebro
Contulit; & palmam hinc tentat habere ſibi.
Dum tibi certatim ſic munera dividit, in te
Exhauſit dotes utráque penè ſuas.

CIV.

De ſeptem planetis.
Saturnus.

AVrea dum priſcis ætas erat, incola terræ
(Nec mihi tunc homines diſplicuere) fui;
Cum tandèm hanc populi ſcelus expulit orbe ſupremo
Nunc poſitum à terrâ longiùs eſſe juvat.

CV.

Iupiter.

OCtavæ propior fulget Saturnia ſphæræ
Stella; patre inferior Iupiter indè micas;
Ergonè ab æthereâ populiſti hunc arce, priorem
Cœleſti ut teneat jam tamen orbe locum?

CVI.

Mars.

INter cœleſtes tanta haud concordia ſphæras,
Vt Marti aſtrifero non ſit in orbe locus;
Quanta furens terris, ſi tanta incendia cœlo
Miſceres; quàm ingens ſtella (Gradive) fores!

CVII.

Sol.

Hinc Venerem Phœbus, Martem illinc spectat; utrúmque
Expertus quondam, nunc utrúsque memor:
Namque quòd armatis strávit Pythona sagittis,
Martis erat, Daphnin quòd petijt, Veneris.

CVIII.

Venus.

POntus quam peperit, tellus excepit, Olympo
Nunc sita sidereo fulgurat igne Venus:
Nata licèt pelago, cur cœlo haud jure locari
Vendicet hæc, Cœlo quæ sata patre fuit?

CIX.

Mercurius.

QVi regit ætheream, pater est mihi Iupiter, aulam;
Quique hanc suppositio vertice portat, avus:
Cur ego stellatum minimus sum quæris? Atlantem
Ne majori onerem pondere major avum.

CX.

Luna.

OHe! jam ad Lunam ventum eſt; nunc cede ſorori
Phœbe locum: hæc cœlum terminat, atque librum.

Finis Lib. primi.

Mart. lib. 7. Ep. 8.

TRiginta toto mala ſunt Epigrammata libro:
Si totidem bona ſunt, Lauſe, habet bonus eſt.

EPIGRAMMATΩN

LIB. SECVNDVS.

I.

Ad Zoilum.

MÆoniæ quondàm detractor Zoile Muſæ,
Deſcende in modici nunc quoq; vatis opus:
Hæc lege, ne accenſâ tumeant tibi viſcera bile,
Dum chartâ dentem nobiliore teris:
Impatiens ſi fortè nequis me ferre poëtam,
At te ego lectorem, Zoile, ferre queam:
Carpe, vel iratus: ſed ne te noſtra laceſſant,
Parce his; aut ſaltèm Zoile parce tibi.

II.

Ad eundem.

CArmina quòd noſtri legis evoluíſque libelli,
Hìnc te lectorem, Zoile, dico meum:
Cenſurâ quòd lecta notas, morſúque laceſſis,
Non mihi jam *Lector* Zoile, *Lictor* eris.

III.

Ad doctiss. D. Rob. Creiton pub. academiæ Cantab. oratorem.

HVnc lege, Musarum Creitoni Phœbe, libellum;
Quem si forte probes, Metius ipse legat.

IV.

Ad Hermum.

HErme quid est totiès quòd agros ita solus oberras?
Quòd tam sollicitus semper es Herme, quid est?
Nil habeo exclamas, zonámque ostendis inanem:
Quid te sollicitum sic facit Herme? *nihil.*

V.

Ad amicum D. Iohan. Alton medicinæ peritiss.

PÆonijs dum tot seruas à funere succis,
Larga tibi merces attulit æra frequens:
Diuitijs Crœso par ut sis, arte Galeno,
Debetur Clario munus utrumque deo:
Fortunæ sortitur opes à numine vulgus;
Ipse tui census author Apollo fuit.

VI.

In Sextilianum bellum concionatorem.

QVòd lepido sic usque places sermone popello,
Ne tantum placeas, Sextiliane, tibi:
Sit sacer in rostris, ad mensam sermo facetus,
Vt laudem ingenium, Sextiliane, tuum.

VII.

Parnassus
Cantabrigia } Ἀνηθέτως.

MOnticolæ quondàm mutatâ ſede Camenæ
Nunc humilem Grantam cur habitare velint?

VIII.

Hippocrene
Oxonium } Ἀνηθέτως.

OXonium cui nomen aquæ quadrupéſque dederunt,
Vngula te fecit ſi qua, *Bovina* fuit.

IX.

Ad illuſtriſſ. D. Ioh. Byron Eq. Balnei.

VT ſaperes (Byrone) ſuo tibi Phœbus alumno
Infudit latices ex Helicone ſacros:
Nè decus ingenio, aut generi par gloria deſit,
Sulphureæ titulos thermæ iniêre tuos:
Sic dùm animo dotes, & dotibus addis honorem,
Balnea cum Aonio fonte coïre facis:
Quæ galeæ inſedit priùs, Hippocrenida *Syren*
Iam per te, aut calidas (ſi libet) intret aquas.

X.

De Vario.

DEpictum tabulâ Varius cum cerneret orbem,
Et propria in ſpatio quæreret arva brevi,

Invênit

Invênit nuſquam : heu me inquit ſuſpiria ducens
Cui patriâ tot ſunt prædia, in orbe nihil!

XI.

Adamicum μεγαλόθυμον *D. Nich. Byron Ar. Proſopopêia.*

ALtiùs æthereas Iovis impiger ales in auras
Carpit iter, celſos ingreditúrque polos:
Infima ſectetur vulgus; mihi ſumma petenti
Alta placent; alas mens generola facit:
Viba magnanimus ſperno; petit ardua virtus:
Par fortuna animo ſit mihi, Cæſar ero.

XII.

In Annam quandam delicatulam.

NIl commune placet; non ſit vulgaris oportet
Res, quæ delicijs convenit, Anna, tuis:
Cui tantum ſordent communia, paucula in aurem
Die mihi; nùm te alijs, Anna, placere putas?

XIII.

In Zoilum apud inferos.

TRiceps cănis, qui manium horridus cuſtos
Caliginoſi limen obſides Orci,
Hoc te (inferos ſi quid mouent preces) oro,
Vt Tartaro clauſum uſque Zoilum ſerues:
Ne poſſit unquàm exire, fauce dentatâ
Fac mordicus vetes: túque, atra quem Ditis
Domus ac Vmbræ tremunt, quodcúnque pœnarum
Sub imo eſt, hunc in unum exhaurias, Pluto:
Fugacia expetat famelicus poma,
Anhelans lubricum truſtrà roret ſaxum,
Ligatus vulturi det ſe indies prædam:

Punge,

nge, ure, velle, lancina, seca, torque;
merici sic cœlitùs jubent manes.

XIV.

In Procillum.

Quisque tua ostentat depicta insignia postis,
Pingitur & serics gentis ubique tuæ:
Quid juvat in pictâ sic te ostentare tabellâ?
Nobilitas pingi vera, Procille, nequit.

XV.

Ex græco.

Si te fert fortuna, feras, & ferre; ferentem
Si malè fers, te angas; nec minùs illa ferat.

XVI.

Alitèr.

Si te fert fortuna, feras, & abi; malè ferre
Quid juvat? invitum te ferat illa; feras.

XVII.

In Notinghamiam.

TRentanas ubi Linus aquas petit, ardua rupes
Continuo ad Phœbum tendit utrúmque jugo:
Illius excelso nitet urbs celeberrima dorso,
Siderei tollens æmula tecta poli:
Quis positum æthereo cœlum miretur Olympo,
Qui positam novit monte Notinghamiam?

Ad

XVIII.

Ad Posthumum de Sexto avaro.

DIvitias Sexti qui nescit? prædia, nummos,
Tecta, armenta, greges (Posthume) Sextus habet:
Omnia Sextus habet; nil miror Posthume, hoc unum
Miror; non, viuat quo benè, Sextus habet.

XIX.

Epitaphium.

Αἶα μὲ τοὶ ἔτεκεν, φθίμενθ' χ' ἐγὼ τέκον αἶαν·
Ενδα κόνις πέλομαι, ὅς ποτὲ σάρξ ἔπελον.
Ζώσ', ἔθανον· Τῶ δ' εἰνὶ τάφω νῦν κείμενθ' οὐδὸν,
Κοινὸν τ' εἰς θάνατον φαίνω ἅπασι πόρον.

XX.

In Nalum.

CArceris angusti metuens confinia Nalus,
Vergivium profugus transijt Oceanum;
Hybernísque morans peregrè dum degit in oris,
Invasit tumidos sæua podagra pedes:
Quam malè fugisti, ut libertas nulla sequatur!
Quem sic vitâsti, carcer es ipse tibi.

XXI.

In Oppidum. Cantáb.

VRbs eris; infandum! saltem hoc prohibite Camenæ:
Tam malè Cant'brigia urbs, quam malè prætor eques.

XXII.

In idem.

'Ene urbem fieri? voluit ſic prætor; at urbem
Sus, dum adverſatur Palladi, fecit haram.

XXIII.

Ad amicum quendam ruſticanum.

I quandò tecum prandi, cum menſa remota eſt,
Neſcio quid mihi de rure referre ſoles;
Quid colat arva, greges quid alat, quid ſtercoret agros,
Quæque referre aures vel nocet Arcadicas:
Quid faciam? retrò ire paro, ſermone reducis,
Parendum eſt; O nunc quam juvat eſſe domi!
Dum me cunctantem ingratâ ſic voce moraris,
Terclepſydra ſuas evacuavit aquas:
Nox inſtat; poſtquam reſtat mora nulla, ſalutas:
Tandèm abeo multâ garrulitate ſatur:
Quid tua ſi poſthac me ad prandia forte vocabis?
Ibo; ad Niliacas ſed canis inſtar aquas.

XXIV.

In Melænim.

QVæque poëſi adeò par ſi pictura, poëſi
Quam ſimilis facies (picta Melæni) tua eſt!
Confer utrámque ſimul: nec res eſt vera poëſis,
Nec vera eſt facies (picta Melæni) tua.

Ad

XXV.

Ad Equitem digniſſ. D. Ed. Coke Regi quondam à conſilijs.

INvidiam laus eſt, & amorem poſſe mereri;
Hæc tibi virtutem comprobat, ille fidem.

XXVI.

De Fortunâ ad eundem.

O Fortuna malis nimis benigna!
Orcheſtrâ ſedet Ælius ſuprema,
Gemmis ſplendid⁹, & togâ rubenti:
Bis ſeptem gradibus Matho remotus
Villoſis ſedet horridus lacernis;
O fortuna bonis nimis maligna!

XXVII.

In Collegia Divi Iohan. & S. Trinitatis Cantab.

CAndida ſunt Triados, ſed mœnia rubra Iohannis;
Talis utriſque color, qualis utríque roſæ:
Quæ rubet, hâc tantùm domus eſt præſtantior albâ,
Quantùm candidulâ, quæ rubet illa, roſâ.

XXVIII.

De doctiſſimis D. Tho. Farnabÿ in poëtas commentarijs.

VNdè tenebroſis (quæris?) lux tanta poëtis?
Vndè aſtris? radios Phœbus utríſque dedit.

Farnabio

mabio ingenium, ſoli ceu lumen Apollo
Præbuit: hinc ſtellis lux micat, indè libris.

XXIX.

In Caliam.

DEſine purpureos viola oſtentare colores,
Cum nitidas inter conſpiciare roſas:
Deſinite ingratas volucres cantare querelas,
Incipiat cantus cum Philomela ſuos:
Æmula ſidereos ſpræarum condite vultus
Lumina, Phœbeis cum nitet aura rotis:
Cœlia tantũ alijs, quantũ præſtantior aſtris,
Alitibus, violis, ſol, Philomela, roſa eſt.

XXX.

Ad illuſtriſſ. D. I. Byron. e. b.

FOnte tuo reſolutus aquas Linus exerit agro:
Dignatúrque tuos viſere Trenta lares:
Officium præſtare tibi nil flumina miror;
Ipſa tuum veniunt balnea in imperium.

XXXI.

In Orum.

MVltis debet Orus; nulli vult ſolvere: ſaltèm
Quod ſtygio debet dæmoni, ſolvat Orus.

XXXII.

Ad Benſonum poëtam.

HVne (Benſone) legens herì libellum
Multa in carminibus meis notâſti,
Carpſiſti, & miſero mihi exprobraſti;
Arte, neſcio quam, tuo ex cerebro

(Qua

(Qua venam melioris experiri
Possim Carminis) æmulus poëtin
Vovisti mihi post diem daturum:
Hanc ut perlegerem, tuam statuto
Iussus tempore cum domum venirem;
Mentito capitis gravi dolore,
Ægrum te simulas & impotentem.
Nunquam ex carminibus tuis poëtam
(Ne quid dissimulem ipse) te putavi;
Nec (Benſone) puto: quòd arte morbum.
Nôsti fingere tam vafer peritâ,
Iam (Benſone) putabo te poëtam.

XXXIII.

De eodem.

BEnſonus caput (heu!) dolet: medentûm
Phœbe ô qui deus es, deúsque vatum,
Huic occurre malo; cucurbitarum,
Aut certam hellebori para medelam,
Affecto malè consulens cerebro:
Tanti si pereat caput poëtæ,
Parnassus geminum levans cacumen
Ne sit posteà non biceps, caveto.

XXXIV.

Ad præsulem eximium D. Georgium Mountaine Archiepiscopum Eboracensem.

SEu teneant (Montane) tuum cœlestia pectus
Numina, sive caput Phœbus utrumque petit.
Sic Parnassiacus, vel Olympicus esto: Camænas
Qui cerebro, æthereum pectore numen habes.

XXXV.

In Homerum, ex græco.

HVmida cùm veritas exſtinguant flumina ſtellas,
Cùm noctu Phœbus lucear, aſtra die;
Cùm mare diſſueto cultor diffindat aratro,
Atque inter ſalſas fons oriatur aquas;
Cùm ſtygijs repetant terram de ſedibus umbræ;
Vivere Mæonides deſinet, atque legi.

XXXVI.

Ad D. Nic. Byron.

CVr adeò formoſa rogas ſit Eliza Byrone?
In promptu cauſam dicere; Eliza nigra eſt.

XXXVII.

In Chriſtophorum Columbum Americani orbis inventorem.

NEſcit Cæſareis tua cedere fama triumphis:
Eſt ſuperâſſe orbem, quam reperiſſe minus.

XXXVIII.

In Martinianum Doctorem Patavinum.

TRanſijt alta vagus freta Martinianus, & Alpes;
Quæſitam tandèm reſtitit ad Paduam:
Poſt tantas vis ſcire vias quid fecerit? urbem
Intravit, Doctor exijt, & redijt.

De

XXXIX.

De eodem, quòd nummis exhaustus in patriam redierit.

TRans mare & horrentes abruptis cautibus Alpes,
Longum suscepit Martinianus iter:
Tandèm Antenoream vênit vagus hospes in urbem,
Mox Doctorali sedit vbi in cathedrâ:
Indè domum repetens titulo redit auctior uno,
Nil præter titulum rettulit in patriam.

XL.

Ad Crispam.

SVm tua; dic sodès mihi Crispa hoc: sum tua, quantùm
Ipse tuus: sine te non ego Crispa meus.

XLI.

De Daphnide in laurum versâ.

CVm peteret frustrà properantem Daphnida Phœbus,
Dum fugit, arboreo cortice forma perit:
Quid tantum humanæ nocuit jactura figuræ?
Nunc celebris jugi frondis honore viget:
Quantum servati decus est & fama pudoris!
Si non casta foret, laurea nulla foret.

XLII.

De eâdem.

VMbra placet, solem fugio; quæ causa? requiris?
Qui me mutavit Daphnida, Phœbus erat.

XLIII.

In Rufum suspensum.

COnscensis scalæ gradibus pendens cruce Rufus
Fertur obîsse anno fata climacterico.

XLIV.

De Solonis sententia.

Ἅλς κόσμος, πλοῦς ἐστι βίος, θάνατος δὲ μὲν ὅρμος·
Ὄλβιος οὐκ ἔσομαι, πρὶν ἐμοὶ ὤλε βίος.

XLV.

In Aulum spurium.

SI quisquam antiquo censetur nobilis ortu,
Qui poterit plures (Aule) referre patres;
Quis te nobilior, quis te generosior uno,
Qui tam multorum filius (Aule) patrum es?

XLVI.

Ad cognatum D. Tho. Wake Academiæ Cant. nunc procuratorem.

IPsa tuæ mater commissa Academia curæ est,
Vndè catenatum fert tibi dextra librum:
Vtque habeas vacuâ possis quem ferre sinistrâ,
Dat tibi nostra suum, Vake, Thalia librum.

XLVII.

Miserere mei Deus, &c.

FVrum ô linea quæ alea es reorum,
Fortunam quibus utriúsque pœnæ
Indicis dubiam, aut trabale collo
Hĩ, vel F Latiam notam sinistræ;
Quanta es lectio, quæ semèl legentes
Tam multòs facis una *Literatos*!

XLVIII.

Epitaphium Vilbÿ ebriosi.

HAc Vilbî sitientis humo jacet urna; sepulchrum
Tinge mero, hoc alijs ne madeat lachrymis:
Vilbius hic situs est, & morte beatior; urnâ hâc
Qui poterat vivus non benè stare, jacet.

XLIX.

In Cantabrigiensem quendam qui Aberdenam nuper migravit.

CVi modo Castalios *Camus* suffecerat haustus,
Horrida nunc gelidas * *Dena* ministrat aquas;
Dena, ubi perpetuis canescunt arua pruinis,
Durus & averso sol premit axe diem:
Sic tibi, sicque tuæ Phœbus dum irascitur urbi;
Illam destituit *Lumine*, te *Ingenio*.

* *Flu. Aberdenam alluens, & denominans.*

L.

Ad Marcum.

OCeano extinctus nocturno tempore Phœbus
Dicitur * in flammas manè redire novas:
Nos semel ut Stygia mersit nox atra palude,
Non licet in vitam (Marce) redire novam.

* *Talis Heraclitii fertur opinio, unde proverb:*
Extinctus magis quam Heraclitii sol.

LI.

In Pontilianum.

QVòd facis & dicis sic ad convivia belle,
Ingenium non est Pontiliane, merum est.

LII.

In Caium.

HÆc Caij domus est; ubi Caius, anne requiris?
Vrbem habitat; Caius dic quid in urbe facit:
Mœchatur, talo indulget, bibit; omnia Caius
Hauriat ut nummos luxuriosus agit:
Quodsi ergò Caius citiùs non deseret urbem,
At citiùs Caium deseret ista domus.

LIII.

Ad Savilianum cauponem.

FErcula mî apponis, nil gusto, solvere poscis:
Tanti haud sanus emam (Saviliane) famem.

LIV.

Ad Avunculum integerrimum D. Adenum Parkins Ar.

TAlis es ut prisco nasci videaris in ævo,
Quamvis, qui genuit te, modò vivus erat:
Hoc tua præstabit probitas tamen, ut tibi credant
Postera Saturnum sæcla fuisse patrem.

LV.

Mutuari, Mendicare.

Χρησάμενος μὲν ἔοικε κεχρημένῳ· οὐδὲν ὁ πάγχυ
Αὐτὸς ἔχει, μηδὲν κεῖνος ἔχει σφέτερον.

LVI.

In Bibliothecam Coll. Diui Iohannis Cant. recèns extructam.

QVænam hæc marmoreis domus est suffulta columnis?
Quale ætas Phœbo prisca dicavit opus:
Dic age quæ nitidis aqua lambit mœnia riuis?
Qualis Pierio quæ fluit unda jugo:
Ergò quid intùs habet tam externè candida? quales
Haud Vaticano Conspiciuntur opes.

LVII.

In Camum flu: eandem perlabentem.

AMnis erat; postquam ripas sacravit Apollo,
Cœpit Castalius, desijt esse Camus.

Ad

LVIII.

Ad Iohan. Episcopum Lincol. fundatorem.

QVid tibi pro tantò debetur munere? *Saxis*
Vivere perpetuò dignus es, atque *Libris*.

LIX.

De Gallâ.

NOn sum ego facundus; credit me Galla disertum:
Nempè putat, *Lapides* cùm loquor, esse *Rosas*.

LX.

Ad illustriss. D. Ioh. Byron eq. balnei.

QVòd sic ingenio pollet tibi, & arte cerebrum;
Pallada, vel nullam te peperisse putem:
Tam divina tuo splendet quòd gratia vultu,
Credibile est solum te genuisse Iovem:
Si posset Pallas, si Iupiter ipse renasci;
Qui proles, fieres solus utríque parens.

LXI.

In impudicum quendam bibonem.

QVòd malè sic audis, digitóque ostenderis, hoc est,
Quòd toties rubris conspiciare genis:
Ergò tibi ut cesset malè dicere fama; rubere
Incipe, vel tandèm desinito esse ruber.

LXII.

Pathetica præ Cœliæ amoris impotentiâ ad Apollinem & Musas invocatio.

O Solatiolum meæ juventæ,
Mellitúmque animi levamen ægri,
Phœbe, vósque Heliconides puellæ,
Quotquot Pierium tenetis antrum;
Vocanti misero jam adeste vati:
Vobiscum juga me per alta montis
Cyrrhæi juvat ire; quà volantis
Fons scatet pede redditus caballi:
Hoc totum mihi pectus irrigate,
Ossa, corculum, & intimas medullas;
Quæ sic continuo illa fax meorum
Torret Cœlia viscerum calore.

LXIII.

In Dom: Neronem.

NOn satis est quod te vivente urbs arserit? ipsum
Vis fieri * mundum te moriente rogum?

* Εμȣ θάνοντος γαῖα μιχθέτω πύρι: *Neronis dictum apud Suet.*

LXIV.

De Lydiâ.

LYdia formosa est, bello pede, candida, longa,
Rectáque; digna viro Cæsare, digna Iove:
Huic me devovi sanctè jurando maritum,
Atque mihi alternam præstitit illa fidem:
Sed priùs ac instaret Hymen (sic Iuno favebas)

Ecce

Ecce tulit geminos clam tumefacta nothos.
Quid faciam? vota exolvam? quam ducere mœcham,
Sacratam potiùs ſtat violare fidem.

LXV.

Ad Ponticum cœnipetam.

AD me ſæpè venis, ſed tunc, cum cœna paratur;
Vis ut me videas Pontice? mane veni.

LXVI.

Ad eundem.

CRebrò tuam cur ipſe domum non Pontice viſem?
Hoc eſt, ne viſas Pontice crebrò meam.

LXVII.

De Oro.

VIna ſolebat Orus, cœpit dehinc vendere *fumos,
Vt deſit fumos vendere, vendit * aquas:
Poſtquàm nil habuit quod poſſit vendere, tandèm
Leno fit; uxorem vendere cœpit Orus.

* *Tabacco.* * *Aq. fortis.*

LXVIII.

Ad amicum D. Ionathanum Sachaverile.

ESt qui odium, eſt ſictè tibi qui profitetur amorem;
Ambo pares; damno gaudet uterque tuo.
Lædere ne te hoſtis, ne fallere poſſit amicus,
Hoc unum præſtes Sachaverile; *Cave.*

LXIX.

De Philomuſo.

DVm ſtudet ad vigilem Philomuſus nocte lucernam,
Corripuit ſubitas barba cremata faces:
Nec tanto contenta malo, quâ proxima, flamma
Sœvijt; atque novos ſparſit ubique rogos.
Accenſos properans extinguere territus ignes,
E cathedrâ præceps decidit ipſe ſuâ:
Dùm caſu ſtupefactus humo ſine mente jacebat,
Flamma vagans omnes perdidit aucta libros.
Quid luges Philomuſe? pati fuit iſta neceſſe:
Cùm tua flagravit barba, cometa fuit.

LXX.

In Medicaſtri cujuſdam libellum nupèr editum.



LXXII.

In ſtatuam D. Tho. Greſham eq. aur. fundatoris ibidem poſitam.

HVic ſua majori dignus ſupereſſe coloſſo
Greſhamus ſaxo tradidit ora rudi:
is marmor deforme licèt, quòd imago Greſhami es,
Neete Pyramidum nobile vincat opus.

LXXIII.

In auguſtiſſimam urbem Londini.

TOt quæ homines, tot tecta capis, brevis area tantam
Te capit anguſti mænibus arcta ſoli:
t tibi quod tellus ſpatium negat, aura rependat,
Altiùs æthereas tollis in aſtra domos:
is apicem cœlis æquas; ut in aëre pendens

PAGINATION

LXIX.

De Philomuſo.

DVm ſtudet ad vigilem Philomuſus nocte lucernam,
Corripuit ſubitas barba cremata faces:
Nec tanto contenta malo, quâ proxima, flamma
Sœvijt; atque novos ſparſit ubique rogos.
Accenſos properans extinguere territus ignes,
E cathedrâ præceps deeidit ipſe ſuâ:
Dùm caſu ſtupefactus humo ſine mente jacebat,
Flamma vagans omnes perdidit aucta libros.
Quid luges Philomuſe? pati fuit iſta neceſſe:
Cùm tua flagravit barba, cometa fuit.

LXX.

In Medicaſtri cujuſdam libellum nupèr editum.

QVis liber hic? medicus; cujus? medicíque; ſed idem
Qualis? qui lectum nil ſapit Hippocratem;
Pharmacapolarum grates huic reddite dignas
Turba, quibus laceræ jam ſatis eſt tunicæ.

LXXI.

In Burſam Regiam Londini, & Caroli regis ſtatuam ibi collocatam.

HÎc Caroli divina nitens ubi ſpirat imago,
Sidereum tollit Regia burſa caput:
Conferat huic ſuperûm ſi quis, num præferat arcem?
Hæc Iovis, illa tuum (Carole) numen habet.

LXXII.

In ſtatuam D. Tho. Greſham eq. aur. fundatoris ibidem poſitam.

HVic ſua majori dignus ſupereſſe coloſſo
Greſhamus ſaxo tradidit ora rudi:
is marmor deforme licèt, quòd imago Greſhami es,
Nec te Pyramidum nobile vincat opus.

LXXIII.

In auguſtiſſimam urbem Londini.

TOt quæ homines, tot tecta capis, brevis area tantam
Te capit anguſti mænibus arcta ſoli:
Vt tibi quod tellus ſpatium negat, aura rependat,
Altiùs æthereas tollis in aſtra domos:
is apicem cœlis æquas; ut in aëre pendens
Non hominum Vrbs, potiùs ſed videare deûm.

LXXIIII.

In eandem.

NClyta maternæ cedat tibi gloria Troiæ:
Illa fuit Priami regia, tu Caroli.

LXXV.

In turrem Londinenſem.

DEformis ſenio, ſcabra, & rugoſa vetuſti
Spectanti exhibeo temporis indicium:
ur oculo exeſis placeam minùs horrida ſaxis?
Haud aliâ ſpecie quippè decora forem.

Forma

Forma decet Venerem: Marti, bellóque dicatam
Me juvat incultis mœnibus esse rudem.

LXXVI.

In eandem.

HOrrida sum; quid si? tentet me externus; & hosti
Horrida sic videar, pulchra (Britanne) tibi.

LXXVII.

In Pontilianum ebriosum poëtam.

SÆcula Mœoniden finxerunt prisca * vomentem,
Mœonides & tu Pontiliane pares:
Carmine grandiloquo quid si concedis Homero?
Hoc unum æquâsti Pontiliane; vomis.

* *Qualem Galaten eum pinxit apud Ælian l.13. c.15. vomitem scilicet, & reliquos poëtas vomitum ejus haurientes.*

LXXVI.

De Clemente Iesuita quodam, qui Bullas pontificiales in Anglos transferens, naufragio nuper submersus est.

DUm grauis inuisos Clemens Stygi deuouet Anglos,
Et petit invito regna Britanna freto;
Insurgens medio tempestas æquore puppim
Mersit, & infandum quod malè gessit onus.
Riserunt Nymphæ, risit pater ipse marinus,
Sic prædâ Oceanum destituisse crucem.

LXXIX.

De eodem.

FVlmina damnatos Clemens dum portat in Anglos,
Pérque fretum totiès ítque redíque vias;
Vidit, & ut ſummâ ſuperos pater arce coëgit;
Hæc ad fraternos rettulit ore deos.
Tam paucos petijſſe polum è mortalibus, undè eſt
Quæritis, infernas tot ſubijſſe domus?
Cauſa patet; cœlorum audax atque arbiter Orci,
Pontifico Clemens numine utrúmque facit:
Tot placet ut pereant animæ è magis an placet iſtud,
Pro reliquis Stygio detur ut una deo?
Dixerat, aſſenſu divi fremuere; Carinam
Æquoreis ventis illicò merſit aquis:
Non tot habere animas, unam Clementis habere;
Inferni hoc damnum dicitis, anne lucrum?

LXXX.

Ex Græco.

PAuper ovem vaccámque habuit bona; credidit iſta
Et ſatis; armento hæc par erat, illa gregi:
Hæc partu, illa lupo perijt, laqueo orbus utrâque:
Nec fera pauperibus parcere fata ſolent.

LXXXI.

De Cottula & Alano.

MVlta guloſus edit, nil tantùm potat Alanus;
Nil ſitibundus edit Cottula, multa bibit:
Muſa refer (neque in hoc facile eſt mihi dicere verum)
An magis hic mingit, vel magis ille cacat.

De

LXXXII.

In Serpentem *Cavendiſhiorum ſymbolum.*

ARma mihi virus, ſtimulus, dentéſque; * *Cavendo,*
Si minùs iſta juvant, denique * *Tutus* eros:
Cur galeæ inſideo? cujus prudentia munit
Serpentina caput, caſſidis inſtar habet.

* *Epigraphe teſſaræ adjuncta.*

LXXXIII.

De eodem.

Ad eximios ejuſdem familiæ heroas Guliel. comitem Devoniæ, & Guliel. comitem de Novo-Caſtro.

OStentat galeam Pallas, Cyllenius anguem;
Eloquij hic vires exhibet, illa animi:
Quam benè vos eadem decorant inſignia, linguâ
Mercurio, diſâ Palladi mente pares!

LXXXIV.

Herinaceus Auratus.

Ad nobiliſſ. Rob. Pierrepont comitem de Kingſton ſuper Hull.

HOrridus es? ſic te primum natura creavit;
Aureus es? talis munere echine meo es:
Sis licèt in ſylvis cunctis deformior, idem
Deformis galeâ non potes eſſe meâ.

LXXXV.

Leo ſuper Turre.

Ad nobiliſſ. Philippum Stanhope comitem de Chaſterfield.

QVid galeâ hâc portas? turrem, quid turre? Leonem,
Fulmineum rapido qui gerit ungue globum:
Geſta patrum, faſcéſque tuos (Stanhopêie) referre
Nil opus; hæc galeâ ſunt manifeſta tuâ.

LXXXVI.

PAVO.

Ad honoratiſſ. D. Gervaſium Clyſton eq. & Banerettum.

VIlis eram; poſtquàm varijs me pinxit ocellis
Sponſa Iovis, reliquas vincere fecit aves:
Seu jam ego Iunonis, tua ſeu (Clyſtone) volucris
Cenſear, eximiam nemo negabit avem.

LXXXVII.

Syren.

Ad illuſtriſſ. D. Iohannem Byronum equitem balnei.

PArs ſupereſt, imâ pars altera conditur undâ;
Subter aquas piſcis, pulchra puella ſupèr:
Et ſignum decoras, & pingis imago Byronum,
Semi-deúmque virum, ſemi-virúmque deum.

Bubo

LXXXVIII.

Bubo Coronata.

Ad digniſſ. D. Percivallum Willoby eq. auratũ.

QVæ regina fui, volucrum viliſſima nunc ſum;
Fortunam hinc tenebris lugeo ſola meam:
Sors mihi priſca redit; tu (Villobêie) coronam,
Reſtituis; cujus munere ſum, quod eram.

LXXXIX.

Baſiliſcus.

Ad doctiſſ. & doctiorum Mæcenatem D. Tho. Hutchinſon eq. aur.

HVtchinſonus habet Baſiliſcum, Gorgona Pallas
Par ſignum; aſpectu lædit utérque ſuo:
Convenit ambobus quâ ſic ratione requiris?
Hæc dea Muſarum creditur, ille deus.

XC.

De eodem ad eundem.

QVid tibi pro ſigno eſt? vis dicam? neſcio; ut illud
Caſſide vis ſpectem? nolo; videre, mori eſt.

XCI.

Pinus.

Ad amitinum generosiss. D. Ishamum Parkins Arm.

ALtiùs illæso consurgit vertice pinus,
Atque apicem spretâ nubibus æquat humo:
Si ferro extremum perdat violata cacumen;
Deficit, atque ægris negligit astra comis:
Tu nostræ caput es pini; te vertice salvo
Stirps tua sidereos crescat adúsque polos.

XCII.

De statuâ divi Iohannis super januam Coll. Ioh. posita, cur cyathum ferat.

Ἰσχω Ἰωάννης κύαθον· τίνος ὕνεκα; ζητεῖς;
Καστάλιον παρέχω τοῖς τροφιμοῖσι πότον.

XCIII.

De Oro & Thaide ad Decianum.

THaida duxit Orus; quam Thaida quæris? anilem:
Exclamas factam rem (Deciane) novam.
In pariles dominatur amor, facilisque Cupido:
Hæc anus, ille puer; sunt (Deciane) pares.

Epitaph.

XCIV.

Epitaphium Henrici 6.

HOc quicúnque perambulas ſepulchrum
Paulùm ſiſte morans viator, & me,
Et fata hìc ſimul intuere regum:
Vix natus ſolio inſidens Britanno,
In regni hìnc nova ſceptra Gallicani
Aſcitus, duplicem indui coronam:
Heu vices! malè proditus meorum
Mòx utráque manu exuor rebelli;
Captivus, profugus, miſer: tot uno
Mors ictu mihi finijt dolores.
Hìc condor: cave lugeas viator;
Non eſt hic *Tumulus* lapis, *Trophæum* eſt.

XCV.

Ad amicum D. Rich. Byron.

IN minimo magnum, humano mens corpore; Grâius,
Si memini, rhetor ſic ait Iſocrates.
Nil de te Iſocratis mentitur pagina; cujus
Nil animo maius, corpore nil minus eſt.

XCVI.

In Cæcilum impoſtorem.

NEc domus eſt, nec qui cenſum tibi reddat agellus;
Neſcio quid cerebro prædij at inſtar habes:
Si lateri malè ſit, veſtem ſubducere; ventri
Si malè, quâ fallas ſcis ratione coquum.
Galbus * te inſequitur, poſtico evadis, & urbem
Deſeris, indè vagus transfuga rura petis:
Chirurgus nunc es, citharædus, ſcriba; crumenæ

Mille modis lucrum diviti á ſque paras:
Sed jam nota tuas infamia prodidit artes;
Quid ſupereſt quod agas Cæcile? func mori.

* *Licturis cujuſpiam nomen.*

XCVII.

Ex græco.

EN Troiæ cineres! quam tot bis quinque per annos,
Haud poterant acies vincere, vicit equus.
Fruſtrà igitur periere hominum tot millia, contra
Multorum unius cum dolus arma ſatis.

XCVIII.

Ad Carolum D. Stanhope.

NEſcio quid de te mentitur garrula fama:
Incipiat verum dicere; qualis eris!

XCIX.

In Albium equitem Auratum.

AVrati, qui ſunt equites, ſi jure vocantur;
Hâc Albi te equitem quis ratione neget?
Rex equites facere ex meritis ſolet; ipſe quòd Albi
Sis eques, haud rex hoc, regis * imago facit.

* *Pecunia regis imagine ſignata.*

C.

Dover.

INgentem te fama refert; mentitur id unum:
Non tu, ſed caſtrum grande, *Dovera*, tuum eſt.

CI.

Calais.

QVid si sit sterili positum tellure Caletum?
Non terræ quòd sit nobile, debet aquis.

CII.

De Fabianâ & Cotta.

NOcte mihi occurrens nupèr Fabiana, sinistrâ
Deprênsum, Cottam jussit avere suum:
Nil ego; manè suam Fabianam en Cotta salutat,
Respondit Cottæ nil Fabiana suo.

CIII.

Ad Varium.

SObrius es? nemo te tristior; ebrius? idem
Et canis, & saltas; ebrius esto Vari.

CIV.

Ad Musas Cantabrigienses.

ITe procul Musæ hinc (locus est jam barbarus) ite,
Atque iterum in bifidi cedite tecta jugi:
Ecce solœcismus vestrâ modò factus in urbe:
Hoc prætor cerdo est tempore; Miles erat.

CV.

In Lucanum.

ORator, simul Historicus, vatésque videtur:
Quis sit dic verum Critice; nemo trium.

CVI.

In quendam πολυτεχνῆ.

THeiologus quondam, prognoſtes indè fuiſti,
Nunc medicus; quid eris poſtea? fatidicus.

CVII.

In Varum hoſpitem.

ACcipiat cùm fortè hilares tua menſa ſodales,
Et reſonet linguâ liberiore domus;
Tu quoque ne hoſpitibus poſſis ingratus haberi,
Quæ moveant riſum ſingula Vare facis:
Et bibis, & cantas, verſus facis, atque jocaris;
Ridetur; magis hoc nil tibi Vare placet:
Dum facis ut poſſis lepidus conviva videri,
Vare nihil, ſapiens ut videare, facis.

CVIII.

Ad eundem.

VAre tuas quotiès bibituri advenimus ædes,
Sic priùs impletis incipis ipſe ſcyphis:
Evohe! nunc hilares animos attollite, luctus
Procul hinc; hauſtu liberiore bibis.
Mox cantas, ſaltas, ludis, miſtóſque cachinnis
Intempeſtivos tollis ad aſtra ſonos:
Arident, plaudunt; noli hìnc tibi Vare placere,
Clàm dicunt omnes hoc tibi Vare; Tace.

CIX.

Ad amitinam D. Mariam Minſhall.

TRes numero Charites: ſociam tribus adde Mariam;
Tres fuerant; centum jam ſimul eſſe putes.

CX.

Pro Zoilo apologia.

ZOile quid fic te arguimus? jam dente notata
Nulla tuo poſſit, Zoile, Muſa queri:
Qui tam multa retrò vixiſti ſæcula, tanto
Non tibi jam ſupereſt Zoile dens lenio.

CXI.

Φθονεῖν, φορεῖν.

CArnifici ſimilis, quem mens tenet invida; ferro
Ille malos, linguâ ſed necat iſte bonos.

CXII.

Ad Tullæum bibliopolam Cantab.

INgenium veſtrâ proſtat venale tabernâ;
Stultitiam ut poſſis vendere, vende caput.

CXIII.

Epitaphium Mariæ cujuſdam fœminæ aſperrimæ.

IRacunda, furens, acerba, & acri
Cunctis terribilis Maria linguâ,

Hìc

Hìc jam muta jacet : levi quietum
Greſſu, quiſquis ades, premas ſepulchrum ;
Ne longo malè ſuſcitata ſomno,
Iam jam de tumulo reſurgat acri
Cunctis terribilis Maria linguâ.

CXIV.

Ad Poſthumianum.

INdulgens genio vivis malè, jura deorum
Reſpuis, & Nemeſim numen inane putas :
Iam pecces impunè licet, vitiíſque fruaris ;
Sed te ultrix, ſceleri debita, pœna manet :
Quæ malè cunque facis, luiturus facta, tabellam
Ibis in Hipparchi (Poſthumiane) nigram.

CXV.

Ad Criſpam.

CRiſpa abeas, I Criſpa ; tuo mea pectora præſens
Igne cremas : vis me Criſpa valere ? vale.

CXVI.

Ad regem de claſſe ſuâ potentiſſima.

ÆTernùm Heſperio terrarum littore metâ
Herculeam referant marmora fixa *Notam* ?
Terra bis impoſitis jam Gaditana columnis,
Plus ultrà accipiat (Carole magne) tuum :
Sol priùs Hiſpano ſolitus requieſcere ponto,
Tingat in Angliaco nunc ſua plauſtra ſalo :
En Britonum imperio ceſſit mare ; jámque Britannum
Creditur, Heſperium quod fuit antè fretum.
Cedite Cæſarei tot victo *Oriente* triumphi ;
Carolum ab *Occaſu* plura trophæa manent.

CXVII.

In nuptias cognat: D. Wilhelmi, & D. Alizæ Smith.

AVreus, ætatâ ſecluſus turre, negatam
Deſcendit quondàm Iupiter in Danaën:
Inque Iovem Danaë jam deſcendiſſe videtur
Aurea; Vilhelmo nupſit Aliza meo.

CXVIII.

Epicurus edax.

ESuries mors, vita gula eſt: da frænа palato;
Omnibus eſſe benè hoc nempè dat, *eſſe* benè.

CXIX.

Epicurus bibax.

VIvo, bibo; haud bibere eſt non vivere: poto, nec antè
Deſino, quam pedibus deſinat eſſe benè.

CXX.

Ad fictum amicum.

PLus nullum quam me coràm te dicis amare,
Delicias, animam, ſuaviolúmque tuum:
Clàm feciſſe malum in me nupèr diceris idem,
Delicias, animam, ſuaviolúmque tuum:
Nil mihi ſit tecum poſthàc, qui lædere pergis
Delicias, animam, ſuaviolúmque tuum.

CXXI.

Παράδοξον *ad amicum D. Iohan. Atkinſon medicum.*

Ζῆν θάνατος, εἰ ἐστὶ θανεῖν· εἰ ζῆν πάλε θνήσκειν,
Τί θεραπεύσει ἰατροὶ; τοῦτον ὁ ἀνθρώπους.

Idem.

VIvere mors, ſed vita mori; ſi vivere mors ſit,
Ergò homini præſtat quid medicina? mori.

CXXII.

De Marullo.

FAmam poſt cineres venire; cultis
Dum libris Ovidî legit Marullus;
Quam vivus nequît aſſequi, ſupremum hanc
Sperans poſt obitum, mori volebat:
Sed nec ſpes ſua mortuum fefellit;
Quòd Demoſthene jam haud minus notetur,
Hôc debet tumulo ſepultus; * *Hic eſt.*

* *Cujuſmodi verba mortuorum ſepulchris inſcribi ſolent.*

CXXIII.

Domo inſcriptum, ex græco.

PRimus Achæmenides habuit me, deindè Menippus;
Nunc ſum hujus, dominum mox habitura novum:
Cujus ero poſthac haud certum eſt dicere; ſolam
Cum fortuna ſuam me velit eſſe domum.

CXXIV.

Ad nobiliſſ. Hen. Dom. Stanhope eq. balnei.

INgenium formæ, ingenio formam addere; ſummum
Naturæ hoc, illud creditur artis opus:
Ingenio & formæ generis dum jungis honorem,
Quam benè naturæ vincis, & artis opus!

CXXV.

Epitaphium Criſpini ebrioſi.

DVm levis aſſiduo titubat Criſpinus Iaccho,
Hoc tandèm cecidit procubuitque ſolo.

CXXVI.

Aliud.

SI qualis lecto, talis tellure jaceret,
Non hìc dormiret ſobrius Oenophilus.

CXXVII.

In Daneſtem fœneratorem.

VMbrarum dæmon, hominum tortura Daneſtes,
Fœdera juratâ ſecum iniere fide:
Defunctorum animas inferno deprimit ille,
Corpora vivorum hic carcere capta premit.

CXXVIII.

Ad Eunomum poetaſtrum πολύγραφον.

CArmina, quicquid agis, ſemper facis Enome; cœnans,
Stans, recubans, ludens nil niſi metra facis:
Quæ facis, indignis pereant ne merſa tenebris;
Aſſiduum prælo charta faceſſit opus:

Quæ

z Marsi, Cassique ferax, aut dives Homeri
Musa tulit, scriptis cuncta minora tuis:
Tot vulgatis supereſt vix pagina libris,
Cum reliquis ſummos mox initura rogos:
Are hos ſic posse mori? nil (Eunome) mirum eſt,
Quæ *Citò* naſcuntur ſcripta, perire *Citò*.

CXXIX.

De Huntingdonâ *oppido &* Plumptre *villa Nottinghamienſi.*

Si titulos te vana meos quid fama requiram?
Hoc mihi, dum durant oppida, nomen erit.

CXXX.

Ad Hugonem *hunc libellum.*

Vive hodiè, cras fortè (liber) moriere; quid ergo?
Saltèm aliquo ſatis eſt posse latere loco:
Pete Apollinei ſacrum penetrale Byroni,
Post ſummos licet hìc uſque manere rogos:
Quid tantùm dolet ergò mori? poſt fata ſepulchrum
Si tibi Byroni bibliotheca dabit.

FINIS.

ADDITAMENTUM.

Caſtri Nottinghamienſis *Deſcriptio.*

Sole ſub occiduo, quà urbem viſurus in ortum
Voluit Linus *aquas; rupes montana ſiniſtrâ*
Tollitur, & celſo ſcandit ſuper æthera dorſo,
Mole tumens grandi, & crebris penetrata cavernis,
Unica Chaonijs ſedes optata columbis:
Hìc, ubi ſidereum propiùs videt aſtra cacumen,
Eminet excelſis turris celeberrima muris,
Æthercóque petit vicinum vertice cælum.
Fama Coritanos contrà, dubióſque Brigantes,
**Victorem hanc poſuiſſe refert: cui gloria major*
Impenſis (Edvarde) tuis arx altera ſurgit,*
Tuta ſitu, latóque cavæ munimine foſſæ:
Celſior illa gradu, ſpatióque hæc major; utríque
Atria bina patent, tectis incincta ſuperbis,
Artifici dextrâ exultis: quibus ordine longo
Mœnia ſublimes pinnæ ſuprema coronant.

Hìnc

Hinc atque hinc arces candenti marmore ſurgunt,
Inque altos non æqua levant faſtigia cælos,
Cælata, & nitidis latè ſpecioſa feneſtris :
Vitra procul flammis rutilant, plumbóque nitenti
Tecta repercuſſo ſplendeſcunt culmina Phœbo :
Et quantum æthereas vertex aſcendit in auras,
Tantum preſſa ſolo ſubſidunt ima profundo.

* Gulielmum Normanum. * Ed. 4. vide Camd.

In ruinas ejuſdem.

INvidet hunc nitidum, pulchris inimica, decorem
Ætas longa tibi ; inſulcans cui ſaxa, ſeniles
Aſſiduè inducit rugas, morſúque voraci
Abſumit muros & deprædatur hiantes.
Heu quondàm regum domus ardua, & inclyta bello,
Nunc peritura ruis ! crebras en undíque rimas,
Semeſáſque arces, & fracto vertice pinnas ;
Nudatæ (ecce) ſuis intrà laquearibus ædes
Liberius cælum admittunt, jámque ipſa minantur
Occaſum lapſis ſepta inclinata columnis :
Quid prodeſt vitâſſe faces horrendáque belli
Fulmina ? non tali excidio te fata reſervant :
Sic, ô ſic periſſe decus ! ſine Marte cadendum eſt
Iam ſenio : quod flamma furens, Mavortia tela,
Perdere tot nequicre acies ; pax ſola quietum
Deſtruit, & tacito corrodit dente vetuſtas.
At non ſic pereas, ut nil poſt fata ſuperſit :
Poſteritas miretur opus, noménque ruinæ
Haud taceant ; Hìc Troia fuit, *vox poſthuma dicet.*

De

De electione Majoris Antropolitani.

TEmpore quo ſancti feſtum Michaëlis habetur,
(Illa dies prætori urbis ſuprema ſenectus)
Haud mora, conveniunt cives: vah, quanta togarum
Copia, purpureo quàm ſplendent vellera ſucco!
Cuíque magiſtratus petitur novus; ille rubenti
Veſte humeros indutus adeſt, ſpolíſque ferarum:
Protinùs ut vacuos aulæ petiere receſſus,
Ad tripodem certâ prætorem voce ſalutant:
Hinc juratus abit; circumvolat agmine denſo
Plebs diverſa ruens; tum vaſtâ mole ſatelles
Per medias rumpit turmas, populúmque frequentem
Auriferum vibrans ſceptrum, dextrámq; tremendam.
Proximus ipſe deus ſequitur, greſſúque ſuperbo
Incedit, tollénſque caput ſupereminet omnes;
Inflatus buccas, & grandi turgidus alvo:
Tertia ſemidei ſubeunt loca; turba ſupremam
Denſa togatorum claudit cum plebe coronam:
Ante omnes vacuas flatu tibicen in auras
Perſonat, & placido ducit ſtridore catervam;
Ceu quondàm ſylvas Orpheus & ſaxa trahebat:
Indè ubi magnificas ventum eſt prætoris in ædes,
Inſtructis lautè celebrant convivia menſis,
Continuántque dapes; nec ceſſant vina priúſquam
Induêt ardentem facies cum veſte ruborem.

Threnet.

Threneticon.

Pro amici cujusdam infortunio, quem sylvis nuper itinerantem latrones deprædati sunt.

FLete deæ, mecum Fauni jam flete bicornes,
Et Satyri; & sylvæ numina quotquot habent:
Flete; jubet nostri casus sic tristis amici,
Experti in vestris tam mala fata locis:
Cum modò per sylvas nummis equitaret onustus,
Incidit in rapidas præda petita manus:
Dum stricto instanti occurrit mucrone rapinæ,
Decidit ex alto fuste petitus equo:
Quem sessore vagum ejecto mòx latro secutus
Abstulit, & fulvas, quas malè gessit, opes:
Sic modò eques dives, & equo spoliatus, & auro,
Cogitur obscænò nunc pedes ire luto:
Tam capiti quæ dira malo tibi, latro, precabor?
*Tot perdant te, quot perdidit ille, * Cruces.*

* Quibus pecunia insigniri solet.

De sole & Zodiaco.

AStriferum totiès curru Sol mensus Olympum,
Miremur celeres cur agat usque rotas:
Miremur; sed causa patet: non ipsa pericli
Stare, metu cursus accelerante, sinunt.

Hic

ic Aries, *illic vibrat fera cornua* Taurus;
Hæc Gemini, *illa ferox limina* Cancer *habet:*
ic Virgo *memor fugitivæ Daphnidos instat,*
Hic Leo; *præcipiti nec mora* Lance *datur:*
corpius *hinc caudâ subit, atque* Sagittifer *arcu;*
Et faciunt geminos virus & arma metus:
dè Caper, *squamisque horrendo corpore* Pisces,
Et formidatis Amphora *terret aquis.*

De Britanniæ unione, ad regis insignia allusio.

CArduus *impatiens aruis, cælebsque manere,*
Et sponsam & sedes gestit habere novas:
Ecce petens varijs redolentem floribus hortum,
Virgineam in tædas ambit amore Rosam:
Post mille amplexus, & mutua gaudia, dextras
Iunxere, & mistas conseruere comas.
Lilia *gratantur connubia læta sorori,*
Cæruleo *saltus ingeminántque* Solo:
Insequitur Cithara, *& dulci modulamina tactu*
Incipit, & thalamis debita metra canit:
Quam benè diverso nascantur stemmate flores,
Et Coëant unà Carduus atque rosa!
Adsis ô Hymenæe favens; fac bruma tepescat,
Fac reprimat ventos Æolus usque suos.
ic *æstiva juvent vos tempora, Carolus orbis*
Dum Sol *Angliaci signa* * Leonis *habet.*

* Quod signum sole occupante fit æstas.

De

De eâdem.

QVæ diviſa priùs, coïerunt nupèr; & uno
Regna Britannorum jam ſociata jugo:
Ornatur Scotia, armatur ſic Anglia; Spinas
Illius hæc, hujus nunc habet illa Roſas.

Πονηρός, πόνηρ☉.

QVod dixti Iuvenalis, idem dixere Pelaſgi:*
Ὅτι πονηρός ἀνὴρ, ἐστί πόνηρ☉ ἀνὴρ.

Sat. IV. *Nemo malus fœlix.*

In Nottinghamiam.

PRoximus arboreis locus eſt propè flumina lucis,
Mons ubi perpetuo ſurgit ad aſtra jugo:
Hîc urbs illa ſedet, vario quæ ſplendida cultu
Fertur hyperboriæ ſtella, decúſque plagæ.

Conſtans, Varius.

ILle ego qui quondam ——————
—————— *In nova fert animus.*

In nuptias Regis & Reginæ

Ma—— Car——

Μάκαρ.

MAriæ & Caroli *cum dissociata manerent*
Nomina; vix Fœlix *ille, vel illa fuit:*
At modò quòd sacro cœierunt fœdere, utérque
Sit jam conjuncto nomine Μά-καρ-ὅλ☉.

Ad amicum lepidissimum D. Rob. Greaues.

EIa age festivos nunc incipe Musa lepores,
Melle fluant dulci carmina; Grevus adest:
Iam Phœbum, Charitésque voca; sint mille licebit,
Cordato plures pectore Grevus habet.

Ad D. R. Foxton art. magist. & oppidi Cantabrigiensis senatorem.

AN referam, Musis caput execrabile, civem?
En furit, & Satyras scribere Apollo jubet:
Musa fave, & positis Foxtoni nomen Iambis,
Laudatum versus fas sit inire meos.

Ad eundem.

Civis es, & sapiens; sed nec sapiens, quia civis:
Nullus Grantanâ civis in urbe sapit.
Cum tamen urbanus, cum sis Academicus idem;
Ingenium invito hinc urbis habes genio.

Ad amiciss. D. Guliel. Clay.

Quantum amo te, rogitas? possem (Gulielme) referre,
Tanta foret lingua hæc si mihi, quantus amor.

Ad amicum S. S. cum in villam vicinam se contulisset.

Visendi absentem tibi si qua Cupido sodalem,
Cur mihi præsentem differs te reddere? an ultrà
Tam breve fraternos spatium disjungat amicos?
Non ita; noster amor prohibet, Charitésq; repugnant:
Ergo age, pelle moras; cras expectatus in urbem
Ad Roscam *primo venias sub mane tabernam,*
Sex ubi siccatis liceat discedere conchis.

Ad amicum D. G. O.

Qua me venturum totiès fortuna moratur?
Fortè rogas; * *adimus obruit unda meos.*

Parce

Parce moræ : ſicco pede ſi contingat adire,
Cràs veniam, quamvìs udus abire velim.

* Trentâ ſcilicèt tunc temporis inundante.

Ad amicum D. T. R. miſſa.

QVantum in amore moræ ! te caligantis Olympi,
Aſtrorúmque minæ, & pluviæ formido futuræ,
Viſurum poterant me deterrère ſodalem ?
Sed jam omnis cæli poſuit furor, atráque Phœbus
Nubila abegit equis ; jam mitior aura ſerenos
Promittit ſoles, jam te ipſe invitat Olympus :
Tandèm adſis ; cupido nec gàudia differ amico.

FINIS.



SEQVITVR

HOMERI BATRACHOMYOMACHIA LATINO CARMINE REDDITA,

VARIISQVE IN LOCIS AVCTA ET ILLVSTRATA.

VIRESCIT
VVLNERE
VIRTVS

ILLVSTRISS:
D. JOH. BYRON
EQ. DE BALNEO

H. PLVMPTRÆVS BA-
TRACHOMYOMA-
CHIAM SVAM D.D.

Quod priùs Augusto Corvus, *tibi (clare Byrone)*
Iam docui Mures *dicere* Χαῖρε *meos:*
Nec mirum, humanæ mutis quod idonea voci
Guttura sint; armis queîs simul apta manus.
En Latia hìc tibi Musa refert, quæ prælia quondàm
Mæoniâ cecinit Graîus Apollo tubâ.
Hæc cape liba piæ (nec dedignare) Camœnæ:
Sæpè dàtur magno vilis acerra Iovi.
Aræ quanta tuæ debetur victima! forsàn
Et poterit Ranis *illa madere meis.*

Ad Lectorem.

QVùm tandèm ad umbilicum (ſeriùs fortaſſè, lector, quam velles) Epigrammata noſtra, non ædipòl abſque tædio, perduxiſſem; jam labore meo me demùm defunctum rebar, ſomnóque ſtatim æquè gravatus lubentiſſimè ſuccubui. Ecce! protinùs aurem mihi vellicare Muſa, & quaſi ulterioris penſi me admonere viſa eſt: experrexi illicò, & novo furore incitatus, *Homericum* hoc* Poëma (id quod unicè mihi ſuggerebat animus) in Latinos verſus transferendũ ſuſcepi, ſuſceptũ denique confeci, confectum hìc tibi jam in lucem exhibeo: quod utcúnque ex Græco vertendum mihi propoſuerim, ad verbum tamen (ut hoc præmonitus non expectes) haud ubîque reddidi, ita reddere in animo mihi

hi nunquàm decrevi; quem commentorem magis quam interpretẽ ex inſtituto hìc actu rũ norîs: pleráque ſcilicèt ex ingeniolo meo conficta paſsìm adjeci, non nihil detraxi, to tum denique velut ex embryone de integro efformavi; vel potiùs (ut vereor) deformavi non imperito pictori fortáſſe diſſimilis, qui re ipsâ ſæpiùs deteriorem reddit imaginem. Cæterùm ego pol nimis audaculè nec planè ſine injuriâ cum optimo Poëta egiſſe videar, qui genuinum ejus rudi noſtro Apolline ſic adulterárim; & ſatìs anxiè quidêm vereor ut apud Criticos hoc facinus luam: quid enim ſi judicio me ſiſtent? *Homeri* ſacræ Muſæ me ſtuprum intuliſſe criminabuntur? nihil prorſùs habeo mihi conſcius quod reſpondeam. Væ tibi interìm miſerrime libelle! quam malè metuo, ne te focis infœlicibus uſtulandum lignis pro piaculo juſtè deſtinarint! ignoſce lector, quiſquis es (ſeriò precor) & faue; tibique hoc qualecúnq; opus, quantúmvis craſſâ Minervâ compoſitum æquo animo in manus

ns legendum accipe : quod denuò, ſi quid
occurrerit, & quod poëtam minùs ſapiat, le-
enti alicubi occurrerit, *Homericum* eſſe me-
mineris, &

Quandóque bonum dormitare

Homerum.

Apoph. 183. * *Quod quamvis* Homero *(refragante* Martialis *illo verſu:* [a] *Perlege Mæonio cantatas carmine* Ranas *) plerique abjudicent; Homericum tamen eſſe quidni concedant? Cum ejus carminum perpetuus quaſi cento videatur.*

Ad amicum de Batrachomyomachiâ ſuá.

CReditus eſt olim privatus lumine Homerus:
Atq; in cœnoſis Rana *coaxat aquis:*
Mœonios docto luſus dum carmine transfers;
Rana *à te mentem, lumen* Homerus *habet.*

Nich. Byron.

In Batrachomyomachiam amici ſui

Οἰδάσκον.

OCia prima tibi, primus tibi luſus Homere,
Et cos ingenij eſt Martia Rana tui:
Hæc ſunt Trojani veluti præludia belli;
Ilia cum inducit pagina parua librum.
Sic cum Mœonio lepidus primordia vate
Prælibas Muſæ primitiáſque tuæ.
Tam bexè nugaces luſus imitatus Homeri,
Qualis in Iliadum, aut carmine Vliſſis *eris!*

Rich. Byron.

In laudem ingeniosissimi Poëtæ *Huntingdoni Plumptre*, de lepidissimâ Παραφράσει τῆς Βατραχομυομαχίας Homericæ.

CVm memorem Heroes murum atque Heroica gesta,
Hæc volo te libro præposuisse tuo.

Rana sc. non minus quam Achilles πηληϊάδης ἔστι cum sit è simo nata.

Μῆνιν, ἀειδε θεὰ πηληιαδέω Βασιλῆος
οὐλομενὴν Βατραχοῖς ἡ μύρια ἀλγὲ ἔθηκε,
πόλλους δ' ἰφθίμους ψυχὰς Αἴδι προΐαψεν
ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τευχε κύνεσσιν,
Οἰωνοῖσι τὲ πᾶσι:

At cum Ranarum *fraudes agnosco, fuisset*
Aptius hæc libro præposuisse tuo.

Βάτραχον ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπει γὲ μύων ἱερον κοσμήτορ' ἔπερσε.

Sic liber hic, quanquam iocularis, continet unus,
Quicquid Achillis *erat, quicquid* Vlissis *erat.*

Aliter.

RAnarum *canis Iliadem, quam maximus olim*
Mæonides majore tuba, majore tumultu
Intonuit, quàm vel Pelidæ aut Hectoris *iram;*
Hanc tu Romano lepidè sic exprimis, ut jam
Virgiliíque Culex *vestris (Doctissime)* Ranis,
Græciáque ut Latio, ut magnus tibi cedat Homerus.

Aliter.

Aliter.

RAnarum *quòd geſta canas, horrendáque murum*
Pieriȳs celebres prælia, & arma modis ;
Haud fruſtrà (Plumptræe) facis : non irrita ſcribis
Carmina ; Rana *tibi*, Muſque *rependet opus.*
Tecum per Stygias comes ibit Rana *paludes*
Dulcia (quæ didicit te modulante) canens.
Atque ipſi mures, cum tanta & talia ſcribas,
Iam parcent oleo (magne poëta) tuo.

Ad librum.

HIc liber in lucem jam tandem prodeat audax ;
Nec felem Mus, *nec* Rana *timebit Hydrum.*
I pede fauſte liber ; *fœlices* Mus *tibi terras*,
Ranaque *fœlices polliceatur aquas.*

Tho. Randolphus Coll.

Trin. Cantab.

A

Batra-

Batrachomyomachia

HOMERICA.

ARma virúmque ſonent alij,
madidúmque cruore
Ilion, Oedipodúmque acies ;
mihi majus *Apollo*
Cantandum præcepit opus :
tu maxima vatum
O dea Calliope (heroum quam geſta referre,
Et verſu celebrare juvat) da numine Phœbi
Carmine belligeras digno mihi dicere ranas,
Et mures ; grauior quêis prælia movit Erinnys :
Quanta giganteis nunquam tentata lacertis,
Aut validâ Æacidis dextrâ. tantúſne puſillis
Eſt animi furor, aut cædis tam dira cupido ?
Nunc age quæ tantos peperit diſcordia motus
*Expediam, & primæ revocabo exordia pugnæ. Æn. 7
Digreſſum tenui quondàm telluris hiatu,
Deprêndit miſerum ſelis venatica murem :

Non

Non benè captivo dentes infixerat; uncis
Faucibus elapsum, cursu pedibúsque fatigat:
Ille cavâ fugiens tecti per mænia rimâ
Evadit; nec adhuc positâ formidine in agros
Fertur, & instantem tergo putat inscius hostem.
Post varios tandèm errores, confectáque cursu
Iugera multa vago; secretâ valle latentem
Ovid. Me. 3. * Venerat ad lucum: sic illum fata ferebant.
Fons illustris erat, multis-uberrimus undis:
Vndè oriens vario flexu per gramina rivus
Irriguas fert lenis aquas, longúmque perenni
Flumine molitur cursum; dehinc obsitus alto
Margine, crescentes in stagnum colligit undas:
Gramineo virides ripæ velantur amictu;
Quêis facili lævis subsîdens area clivo
Sternitur, auratâque nitens flavescit arenâ:
Vndíque stant densæ salices, & vimine crebro
Per summa hirsutos protendunt ora lacertos;
Lene susurranti solitos dare murmura fronde.
Hùc ubi pervênit varijs ambagibus actus,
Defessúsque viæ; gelido sitientia rivo
Guttura pertinxit, mollíque quievit in herbâ:
Æn. 3 * Hìc labor extremus, longarum hìc meta viarum.
Iam felem meminisse juvat, positóque timore
Tædia jucundo lusu finire laborum:
Nunc agiles vndâ ducit stridente choreas,
Nunc cantu, plausúque fremit; nunc lætus ab imo
Fonte repercussos spectat de littore vultus.

Ecce autem tenui lapſus Phyſignathus vndâ
Vidit, nec vidiſſe ſatis; ſtupet uſque videndo:
Miratur caput auritum, vultúſque comatus,
Armatóſque pedes, longámque per inguina caudam:
Tandèm cæruleâ madidum caput extulit undâ.
Quis novus hîc noſtris compares advena ripis?
Quem referens! quales oſtentans corpore vultus!
* Credo equidem (nec vana fides) genus eſſe deorum Æn. 4.
Monticolum, aut Satyris numen ſylveſtribus ortum:
Quiſquis es, ô ſalve; ingratus nec noſtra ſubîſti
Tecta, nec indigni jam te capit hoſpitis aula:
Námque ego ranarum princeps; qui ſedibus iſtis
Impero, ſtagnantum latè regnator aquarum:
Ergò agè (quandoquidem ignotus mea regna petîſti)
Fare quis es, quâ gente ſatus, quibus editus oris.
Olli hæc adverſo Pſycharpax rettulit ore;
Tantane vos generis tenet ignorantia noſtri?
Quod non æthereæ volucres, quod nemo deorum,
Aut hominum ignorat: primæ mihi ſtirpis origo
Lychopinax; qui regalem ſortitus honorem,
Ante Iovis regnum mures ditione tenebat:
Editus huic longâ ſerie ſucceſſit avorum
Troxartes; dignis cui quondam juncta Hymenæis
Regia Lychomule, veteris ſub mœnia Troiæ
Me peperit, variiſque eductum nutrijt eſcis:
Non vitam æthereis (falſò ut tu rere) ſub auris
Nudus ago, nemorum, aut duri vagus incola montis:
Vos forſitan decet; mihi clara palatia regum,

Tectáque marmoreis altè ſurgentia ſaxis
Incolere, humaníſque datum eſt accumbere menſis:
Odi ego radicum morſus, herbáſque paluſtres,
Graminaque & caules; hæc vobis pabula ſunto:
Dat mihi odoratos multâ pinguedine morſus
Perna, nec ingratos oleum mihi ſufficit hauſtus:
Lauta parat noſtro ventri convivia piſtor,
Et coquus, & lanius; nec deſunt lactea nobis
Fercula, magnorum nec quæ juvat ora deorum
Ambroſia, aut quæcúnq; hominum ſunt digna palato.
Talia jactanti contrà Phyſignathus infit;
O te fœlicem, & regali ſanguine clarum!
Euge! tuum genus agnoſco, ſortémque beatam:
Non equidem invideo, aut miror; fœlicior ipſe,
Et generis quoque honore prior: mihi cœlicus ortus;
Nam nebulis aliquandò gravis cum increbuit æther,
Et calor adverſo liquefecit nubila Phœbo;
De cœlo lapſas fama eſt deſcendere ranas:
Nec mihi ſors generi diſpar; Saturnius orbem
Cum regeret pater, ambiguam ſine limite ranis
Seu tellure dedit vitam, ſeu ducere in vndâ:
Nos Aganippæum Parnaſſi culmine fontem
Muſarum incolimus ſociæ, vitreíque fluenta
Tyberis, aurifluúmq; Tagum, celebrémq; Lucrinum;
Et quaſcúnque tenent divinæ Naiades oras:
Mater ubi varias rerum haud improvida fruges
Effundit largè natura; legumina, frondes,
Radices, caulésque, & olentes ſuavitèr herbas,

Rara alimenta, tuo nec fortè ingrata palato:
Quid multa? experiare licet (nec inhoſpita nobis
Tecta adeò) liquidas facile eſt tibi nare per vndas;
*Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit. Æn.2.
Dixerat; ille levi ſaltu data terga petivit,
Et circùm innexis hæſit cervice lacertis:
Continuò elatus ſummo de littore fertur,
Terráque non ultrà pedibus calcanda recedit;
Cum ſubitò horrendis latè circumdatus undis
Obſtupuit, *cœlóque manus cum voce tetendit: Æn.2.
Dij benè ſit precor hoc oneri quod carpitur, inquit,
Navigium; fluctus en! me undíq;,& undíq; cingunt,
Exiguæ incerto pendentem corpore ranæ:
Non ſic invectus tergo delphinis Arion
Oceano tentavit iter; nec Agenore nata
Sic quondàm æquoreas reſidens bove tranſijt undas.
Talia dicenti *cumulo præruptus aquæ mons Æn.1.
Inſurgit, teneróſque aſpergit fluctibus artus:
Tum verò horribilem auditu tremefactus ad auras
Fert gemitum; & retrò nequidquàm in littora ferri
Vota facit, patrijſque iterùm conſiſtere terris.
Ventum erat in medium procul à tellure profundũ;
Protinùs (horrendum viſu) cum ſe extulit ingens
Hydrus, & immani ſulcavit corpore fluctus:
Non tam dira tulit ſpectacula rana; ſed ultrò
Subduxit ſe oneri tacitam, ſubijtque profundo:
Ille miſer medijs deſertus fluctuat undis:
Quid faciat? clamare licet: nunc ſuberis inſtar

 Deprimitur,

Deprimitur, nunc elatus jactatur in altum.
Irrita (quod tantum potuit) sub fluctibus egit
Brachia: sic letho frustrà luctatur, & undis:
Æn. 2. Et quanquam * mediâ ægrotus jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit dictis, iræque pepercit:
Perfide, sic humeris me ejectum deseris alto?
Hoccine promissum hospitium, simulata fidésque?
Scilicèt hæc animo virtus, me prodere in undis?
Non adeò facilè in terrâ me vincere posses;
Seu jaculo certare velis, liquidâve palæstrâ,
Æn 9. Aut celeri cursu, aut *longè fallente sagittâ:
Proditione prior tantum me (perfide) vincis.
Æn. 2. 1. * Dij tibi pro scelere hoc *memores fandi atq; nefandi
Persoluant grates dignas, & præmia reddant.
Vix animam, subeunte gravi jam morte, trahebat;
Intima crescentes tentârunt viscera fluctus:
Tum demùm Æolium numen sic voce precatur;
Æole (si qua deos tangit pia cura suorum,
Si colui infernas semper, tua regna, cavernas,
Si tibi tot nostris caluerunt ignibus aræ)
Fer miseratus opem, atque instanti me eripe letho:
Sin aliter Parcæ, & stat inevitabile fatum;
Redde locum morti; terrâ perijsse juvabit,
Nec vitam ignotâ miserè effudisse sub undâ.
Æolus annuerat, subito cum montibus altis
Laxavit ventos; & facto turbine corpus
Extulit, & summâ moribundum liquit arenâ.
Continuò auditur gemitus; latéque per agros

It clamor: coëunt campestres undique mures
Attoniti, & dubiâ socium sub morte tuuntur;
Languentíq; fovent animam, atq; ululatibus instant:
Haud aliter, quam cum in laqueos fera lapsa tenetur,
Mugitu accersit socios; illi undique mœsto
Circumstant fremitu, & nodos divellere tentant:
Luctisonis mugit latè clamoribus æther.
Tum verò scitari omnes, & quærere castis
Tam subiti causam; & quæ sit fortuna requirunt:
Ille oculos vix tollit humo, dehinc talia fatur;
Nulla malum fati sors hoc effecit, amici:
Haud saltèm ignotas petijssem credulus oras,
Ranarum hospitio fretus; mihi vita maneret!
Namq; dolo per aquas ductum Physignathus, hospes
Perfidus, in medijs letho me prodidit undis.
Sic fatus suprema animam cum voce refudit.
Extemplò urbanos, rerum cita nuncia, mures
Fama petit; mei simque dolo Psycharpaga narrat:
Olli discurrêre citi, fusisque patentes
Agminibus complêre agros, gemitúsque dedêre:
Primus ibi ante alios planctu lugubris, & amens
Troxartes, pater infœlix Psycharpagis, omnes
Percurrit; natumque petens, super ora jacentis
Procubuit, tristésque effudit voce querelas,
*Cum gemitu, & lachrymis, & luctisono singultu: O. Met. 1.
Nec minùs indoluit ploratu cætera turba
Mæsto suspiratis socium; sed, debita morti
Munera, persolvit lachrymas: tum membra pheretro

Fluctibus, & multo fletûs humentia rore
Imponunt; piceóque humeros velamine, & ora
Induti sub humo solenni funere condunt:
Tum saxo tumulum signant, & carmine saxum:
Hîc jaceo ignotis Psycharpax mersus in undis;
Invictum virtute, dolo quem prodidit hospes.
At non intereà genitor solaminis expers
Temperat à mœrore animum; sed funere nati
Hæret adhuc, nati ante oculos versatur imago:
Æn. 2: Ardescítque magìs luctu; * subit ira doloris
Vlcisci autorem, & scelerâtas sumere pœnas.
Ergò omnes altis socios accersit ab antris,
Qui postquam summâ coiérunt principis aulâ;
Talia percusso consurgens pectore fatur:
Vsquadeone mihi peragatur luctibus ævum
Æn. 2. Dijs simul invíso & fatis? * satis una, supérque
Vidimus exitia, & natorum fata duorum:
Hunc felis (novistis enim) laniavit; at illi
Deprênso ancipiti fatalis machina nexu
(Mucipulam plerique vocant) præcordia fixit.
His sat tèm fortuna malis saturata fuisses!
En! ultrà nos fata movent: jam tertia vobis
Additur in luctus prolis jactura paternos;
Quam modò fatali mersit Physignathus undâ.
Tot mala natorum passi jam funere, an ultrà
Sic patimur? tunc ferre juvat, cum certa negatur
Vindicta: haud rostro nunc vos metuendus acuto
Accipiter, felísve rapax; sed rana lacessit:

Scilicèt

Scilicèt in generis damnum, atque opprobria noſtri
Tantum hæc audebit; nec erit Pſycharpagis ultor?
En totiés patrem orbatum! nunc vindice dextrâ,
*Nunc animis opus eſt, pœnamque injuria poſcit. Æn.6.
Exarſere omnes animo, totúmque per agmen
It fremitus: bello (ſic ſtat ſententia) ranas
Perdere conclamant, facinúſque ulciſcier armis.
Arma fremunt; primúſque caput ſublime comanti,
Troxartes galeâ induitur, dictíſque furentes
In rabiem accendit ſocios: haud ſegniùs illi
Arma parant; duro circumdant tergore pernæ
Brachia, pectoribúſque aptant thoracas ahenos,
Setiferáſque humeris chlamydes; ſtant caſſidis uſu
Tegmina dura nucum niveis horrentia plumis.
In turmas partitæ acies; ſua quiſque capeſſit
Tela: gerunt alij gravidas poſt terga pharetras,
Letiferóſque manu ſinuatos flexibus arcus:
Scuta ferunt alij lævis, & ſpicula dextris.
Pars acubus longas ſimulantibus emicat haſtas,
Armatúmque latus validò præcingitur enſe:
Pars depictarum ſigna elevat antennarum.
Continuò ex procerũ ſummis, præco Meridarpax
Eligitur Boſchytre ſatus; qui flebile ramis
Indicat bellum, & triſtes denuncietiras:
Protinùs ad liquidas pede feſtinante paludes,
Stagnantéſque it juſſus aquas; ubi littora ſumma
Stat propè, & inflato ranas ciet ære profundo.
*Tum quaſſans caput hæc effudit pectore dicta Æn.7.

Non veſtri latuere doli (gens perfida) regis,
Mergere per tumidos auſi Pſycharpaga fluctus:
Sed non & merſiſſe volet! vos debita tanto
Pœna manet ſceleri, veſtrâ quod cæde piandum eſt.
Non ſic ad Stygias letho malè proditus umbras
Solus eat; ſocios vos ſecum in funera poſcit:
Æn. 6. Vindictam Mars cuique vovet. * Bella, horrida bella
Intonat; & nudum per tempora concutit enſem.
Stant dubijs tremefacti animis, diverſaque multâ
Murmura voce ferunt: quæ belli cauſa? quis hoſtem
Egit in arma dolor? quid agant? tum protinùs imâ
Concilium ex ſocijs cogit Phyſignathus undâ:
Qui poſtquam intrârunt liquidi penetralia regni;
Tum ſolio rex ipſe prior ſic fatur ab alto:
Vos animæ fortes ſocij, per ſtagna quibúſcum
Vivere mî natura dedit, patriáſque paludes;
Nunc etiam fortuna mori dabit: en! mihi quantis
Fervidus, & vobis inſtat terroribus hoſtis:
Scilicèt è noſtro deberi ſanguine pœnas,
Fortè quòd inſuetâ nimiùm temerarius undâ
Pſycharpax fata oppetijt: me criminis hujus
Innocuum, vóſque inſimulant; hinc bella parari
Cernitis, hoſtilésque acies: commune periclum
Pellere nunc fortuna jubet, patriámque tueri:
Si qua animo virtus, jam jam tentanda: parati
Solvite corda metu gelido, timuiſſe periclum
Par eſt atque pati: juſtæ fiducia cauſæ
In palmam accendat vires; ſin nulla poteſtas
Stat virtute, dolo ſaltèm ſuperabitur hoſtis.

Vtile conſilium paucis (audite) docebo:
Jungamus validas per littora ſumma cohortes
Excepturi hoſtes; ubi primum buccina ſignum
Clara dabit, verſis curramus in agmina turmis:
Sic vi præcipites ſubitâ de littore pulſi
Immergantur aquis: licet hinc ſperare trophæum.
Ergò agite (en! ultrò ſe offert victoria nobis)
* Arma parate animis, hoſtíque occurrite veſtro. Æn.
Haud mora, digrediuntur aquis; & littore fuſi 11.
Corrodunt tenues, ſimulata haſtilia, juncos:
Viminéis ſalicum curvant de fœtibus arcus:
Implentur cannis phareträ; quêis ferrea culpis
Vipereo ſplendet venas infecta veneno.
Tum verò arboreis avulſo cortice truncis
Loricæ, & vaſti fiunt clypea æmula mundi:
Verticibus cochleæ, ripis quæ fortè jacebant,
Aptantur galeæ; & plumâ frondente tremiſcunt.
Protinùs armati in varias coïere phalanges;
Sub ſignis ſtat quæque ſuis: ipſe ordine primus
Incedens, totum duxit Phyſignathus agmen,
Auratâ inſignis galeâ: quem deindè ſecuti
Lento proceſſere gradu, paribúſque per agros
Alternâ ſerie ſpatijs & paſſibus ibant;
Sera propitiquantem donec lux attulit hoſtem.
Planities inter geminos fuit arida colles,
Cujus utrínque latus ſinuoſo flumine claudit
Rivus, & undarum venâ ſaliente perennat;
Æqua ſolum, nullóque affectans æthera colle,

Horrida

Horrida nec dumis, nec aratri vulnere tractu
Sulcorum interſciſſa cavo; ſed ceſpite lævi
Velata, & ſalicum latè circumdata muro:
Aptior Emathijs bello haud patet area campis.
Hìc primùm coïëre acies, & caſtra locârunt.
Sol ruit intereà ſub aquis; reparatáque Phœbo
Iam verſo rubicunda diem lux orbe reduxit.
Haud mora ſe eripiunt ſtratis; ſomnóque ſoluti
Arma omnes repetunt: tum iunctas ordine turmas
Direxere duces, & ſub ſua ſigna vocarûnt:
Fit ſonus armorum ſtrepitu, & clamore regentûm.
Penniferas acie primâ ſtatuere ſagittas;
Spicula dehìnc, latóque illinc haſtilia ferro:
Agmina fulmineæ claudunt extrema bipennes.
Ferrea telorum it nubes; crebræ undíque clara
Cuſpidis aura nitet radijs: hìc tympana diro
Murmure pulſa ſonant, hìc undant Martia ſigna;
Rarior haſtarum ſylvis intermicat æther.
Æn.9 * Iámque omnis campis exercitus ibat apertis:
Cum ſubitò in medias geminæ per inane volantes
Devenere acies muſcæ; quîs vertice criſta
Clara ſtetit, pictóque humerus ſplendebat amictu,
Æreáque armato pendebat buccina tergo:
Continuò raucis, belli prænuntia in altum
Elatis dant ſigna tubis; it clangor in auras
Terribili ſonitu, & trepidantia ſidera pulſat:
Concuſſi tremuere poli; tum Iupiter alto
Territus in campos latè deſpexit Olympo,

Vidit & armatas acies, Vanósque timores
Risit, & ingentem cœlo patefecit hiatum:
Pallada dehinc, divósque vocat; quêis talia fatur:
Cernitis hìc quantos terris aurâque tumultus
Miſceat armatorum acies? quot millia nunquam
Thebanas petiere arces, quantósque Pelaſga
Haud quondam arboreis effudit machina coſtis:
En quibus (horreſco aſpiciens) in prælia telis
Martius armatos egit furor: en quibus omnes
Pugnandi ardeſcunt ſtudijs; animíſque ſuperbi
Æthereos vibrant contos, cœlóque minantur.
Haud equidē magìs extimui tunc, cum horrida ſum-
Titanum ſcelerata cohors inferret Olympo (mo
Prælia, & avulſis in ſidera montibus iret;
Quippè his ſævities major; qui corpore quantum
Terrigenis cedunt, tantum illos pectore vincunt:
Quam ſpreto ſecura metûs ſunt corda periclo,
Quam fera vis animi cunctis, quam ſæva cupido
Vindictæ, cædíſque furens & ſanguinis ardor!
Quiſque hoſtile caput, ſaltèm aut ſe devovet Orco,
Atque deos in vota vocat, cœlúmque fatigat.
Ecquis erit veſtrum, auxilio qui fortè benignus
Alterutri faveat parti? quêis jam Ægida Pallas
Incutiet? aut quos durabis Gorgone vultus?
Tum ſic orſa loqui Pallas: non ipſa (deorum
Summe pater) noſtris ſuccurram muribus armis,
Vſqueadeò infeſtis ſemper mihi: ſacra profani

Aſſiduo

Assiduo rapiunt furto, & mea templa frequentant;
Sacrilego soliti corrodere dente lucernas,
Sacratumque oleum bibulo absorbere palato.
Sed neque ranarum parti magis æqua faverem:
Nec dum animo illius subeunt oblivia noctis;
Quâ mihi Trojani fessæ post tædia belli
Membra reclinanti, per agros, somnósque petenti,
Optatos strepitu ranæ impedîere sopores.
Ergò (quod in pœnas ambo meruere) repulsam
Vota ferant; ope neutra meâ pars stetue, cadatue:
Ipsa suas fortuna vices agat inter utrámque,
Auxilio cessante deum: nos æthere summo
Eventum spectare, satis. Tum protinus infit
Mercurius: vos ô superi (mea cura) periclum
Effugite ignari, vestrum quod cúique timendum est:
Longiùs hinc (moneo) super astra capessite sedes;
Ne qua volans nervo trans nubes acta sagitta
Vulneret incautos, cædemque immittat Olympo.
Talia cœlicolæ dicebant dicta; locisque
Undique dispositi pugnam spectare dedebant.
Interea ex imo furijs comitantibus Orco
Ecce soror Mavortis adest; campósque repentè
Sanguineis invecta rotis, visendáque nulli
Ingreditur per utramque aciem, sæuósque furores
Conserit, atque iras animo, rabiemque ministrat.
Æn.5 * Inde ubi clara dedit sonitum tuba, ferrea toto
Tempestas jaculorum alte nigrescit Olympo;
Undique stridentes volitant per inane sagittæ:

Ceu

Ceu tonitru primo insonuit cum fervida nubes,
Mòx gravis insequitur nimbus; ruit æthere denso
Gutta frequens: pluvio latè strepit aura tumultu.
Vulnere crebrescunt cædes: primúsque sagittâ
Figitur in latus Hypsiboas, animámque rubentem
Evomit, & virides latè cruor inficit herbas:
Proximus huic fato simili comes additur audax
Scutlæus; quem, crebra manu dum torquet in hostem
Spicula, fatalis veniens intravit arundo.
Indè Tyrocleptes cadit, & Pernoglyphus: inguen
Huic medium ingressa est Prassæi lancea; at illi
Cum multo stridore volans horrenda sagitta
Per tempus fixo transivit utrúmque cerebro.
Continuò Prassæum alto Licenoris hasta
Vulnere per thoracá subit; jacet ille cruentus,
* Et resupinus humum moribundo vertice pulsat. Ovid. Me. 5.
Tum simul emisso vindex Licenora telo
Victorem petit Hydrocharis; quod turbine adactum
Fulmineo venit; &, lateri qua baltheus arma
Juncta ligat, costas perrumpit & ilia ferro.
At verò antè aciem stans Embasichytrus, & arcu
Horrendum stridens, * hybernâ grandine plura Ovid. Me. 5.
Sparsit in adversos tela imperterritus hostes;
Multáque Tartareis demisit corpora letho
Manibus: illum ardens contra Pelusius hastam
Dirigit, & certam certo libramine torquet:
Ipsa manu validâ pernicibus advolat alis
* Fulminis acta modo; mediâque in fronte recepta Æn. 9

Pérque

Pérque caput galeámque infesto vulnere transit.
Primus in hostiles ausus perrumpere turmas
Boschytres, galeâ tectus clypeóque fideli
Irruit, & per densa viam secat agmina ferro;
Turbineâque furens effulminat undique dextrâ:
Iámq; simul Polyphonũ, immanémq; Hydrocolum.
Prassiphagúmq; neci dederat: subit ultor in iras (bũ,
Accensus diro sociorum funere Pelêus;
Troglodytémq;, acrémque simul Meridarpaga junco
Percutit, extendítque solo: tum fervidus ipsum
Boschytren immane animis, & cæde furentem
Æn.9 Aggreditur, strictúmque * altè consurgit in ensem:
Continuò stridenti intortum missile fundâ
Vênit in adversum caput inter tempora saxum:
Olli corda gelu torpor lethalis, & artus
Occupat; ad Stygias diffugit spiritus umbras.
Protinùs antè aciem (Geticis Mars alter in armis)
Craugasides, animo furijsque ultricibus actus
Vênit acerba fremens; vultúq; horrendus, & irâ,
Scintillánsque oculis, necnon & arundine longâ
Terribilis subitò in medios ruit: indè per armos
Lichomylum ferro, pérque ora Tyroglyphon hastâ
Traijcit: Illum ultrà cædes atque arma ferentem
Artophagus congressus acu splendente petivit:
Quâ clypeum, chlamydémque, simul thoraca bilicem
Transfixit; calidúmque eduxit pectore flumen.
Confestim Artophago vibratis Calaminthius hastam
Ingentem, arboream, fulgentíque ære minacem

Conijcit

Conijcit: ipſa oculis medium obſervata per auras
Vênit in umbonem, clypeóque eluſa pependit.
Ille autem amiſſâ metuens ſibi cuſpide, pugnâ
Clàm ſe effert, tacitúſque ad aquas fugit; ocyùs alter
* Inſequitur, jam jámq; manu tenet, & parat enſem: Æn. 2.
Reſtitit is, ſubitóque humenti littore raptum
Iecit in adverſum pérq; os & lumina cænum.
Tum verò exarſit rabidus; ſaxúmque repentè,
Saxum immane, ingens, ripis quod fortè jacebat,
Suſtulit, & magno conamine miſit in hoſtem:
Quem ſuper adveniens, ſub terrâ pondere totum
Obruit; & lethum paritèr tulit, atque ſepulchrum.
At verò hunc, tantus pugnæ in certamina victor
Dum redit, exultantem animis & cæde ſuperbum
Sitophagus petit occurrens; pérque ilia junco
Trajectum defigit humo: jacet ille ſupinus,
Luctánſq;, ſtringénſq; pedes, inhiánſq;, geménſque;
Atque animam multis moriens ſingultibus edit.
Tum contrà elato vulnus mucrone Podargus
Sitophago dum triſte parat; ſtans ponè bipenni
Pelîon humeris dextram abſtulit, & ſimul enſem:
Ille furit, lævâque inflicto protinùs hoſti
Perfregit coxam clypeo: quem deníque lapſum
Turma ſuperveniens ad lethum calcibus egit.
Indè Tyrotrocti ex adverſâ parte cruentum
Vibranti juncum, & minitanti cuſpide vulnus
Crambophagus ferro incurrit; quod forſàn ahenæ
Illiſum fregit galeæ, & ſic fûgit mermis:

Huic

Huic ſtricto obveniens mox Artoclepticus enſe
Inſilit, & crebro circum caput intonat ictu:
Ille tot objectâ ſuſtentans verbera parmâ
Continuò ſubit; & dextrâ per colla prehenſum,
Æn. Perque femur lævâ, & * pedibus per mutua nexis
7.9. Sternit humi; magno * concuſſa eſt pondere tellus:
Tum ſupèr oranti incumbens, fruſtráque precanti,
Tendentíque manus per pectus tranſigit enſem.
Tunc adeò accenſâ fervens Artoglyphus irâ,
Sitophagum longo percuſſum tempora conto
Æ.12. * Impulit, effuditque ſolo; quem deindè frementem,
Pluráque mordaci edentem convitia linguâ
Infixit jugulo, vocémque animámque repreſſit.
Quin pugnæ impatiens ultrà, ſitibundus & æſtu,
Ora levaturus gelidis arentia lymphis
Limnocharis flumen petijt: hunc fortè bibentem
Vidit Elæopinax; conjectáque eminus haſtâ,
I Styga mox bibiturus, ait: cadit ille repentè
Per ſummas extenſus aquas; rubet unda cruore.
Æn.7 Ecce autem * raptâ ſpirans immane ſecuri
Pernophagus ſeſe in medios dedit: obvius illum
Æ.12. Pelobates * acie ſummâ per tela ruentem
Excipit, infeſtóque occurſat fervidus enſe.
Fit ſonus, ingeminant ictus, ſtrepit ærea rauco
Caſſida tinnitu, ferrúmque umbone reſultat:
Is verò, ut mucrone cutem perſtrinxerat hoſtis,
Sævior ultrici inſurgens ſublimiùs ictu
Adverſum clypei telum defixit in orbem;

Multiplici

Multiplici quod pelle hærens, lignóque tenaci
Detentum, frustrà obnixus vellendo, reliquit:
Continuò properans vicini ad littora stagni
Arma refecturus fûgit; quem ponè secutus
Limnisius, ripâ tentat dum evellere juncum,
Corripit, & medias periturum mittit in undas.
Intereà Polyphemus Elæopinacta peremit,
Boschytrem Hydrocharis; Pelusius Artepibulum,
Cnissodioctem unà mactat, celerémque Podargum:
Pelocharim contrà Tyrotroctes, Borborocætem
Immolat Artoglyphus, Pernotroctes Charilimnum.
Necnon & socios haud deserturus in umbris
Sternitur infœlix Pelusius; Hydrobatésque,
Crambophagúsq; acer, Polyphemúsq; Hydrocharísq;,
Hydrocharis; quo non alter præstantior arcum
Tendere, vel telo distantes figere metas.
At non ipse alijs belli Phylignathus autor
Segnior, obstantes latè victricibus armis
Fulminat horrendùm in turmas; & proxima ferro
Quæque metit: segetes veluti cum noxius ignis
Corripuit fortè æstivas, incendia latè
Spargit, & arentes ventis impulsus aristas
Depopulatur edax; it fumus, & undique flamma.
Haud secùs ille animis ardens, actúsque furore
Indomitus ruit; &, via quà densissima, ferro
Sternit ubique acies, & tristia funera miscet. Æn. 2.12.
* Non tulit hanc speciem * furijs accensus & irâ
Troxartes; medium subitâ vi rupit in agmen,

Signavítque oculis hoſtem, jaculóque petivit:
Ille repentè gravi per ventrem ſaucius ictu
Concidit ad terram pronus; ſubit ocyùs alter,
Impreſſóque genu collo, ſimùl enſe recluſo,
Æn 9. Sic * noſtras impunè manus evadere (demens)
Sperâſti te poſſe, inquit? morietur inultus
Pſycharpax? natus, merito hoc te vulnere natus
Æn.12. * Immolat, & pœnas ſcelerato ex ſanguine ſumit:
Sic fatus, mucronem adverſo pectore condit.
Hìc primùm occiſo duce (nec jam viribus ultrà
Oppugnare acies poterant, aut ferre nientes)
Defecere animis ranæ; præcordia frigus
Tum ſubit, neque pedes mens decidit: ocyùs omnes
Accelerare fugam pauidæ, Tantò acriùs illi
Inſtant, & jaculis immittunt funera, nondùm
Vindictis ſaturati animos, & cædibus arma:
Et ſi continuò pugnam Tritonis ab alto
Deſpiciens, victis haud ſuccurriſſet, Olympo;
Omnibus illa dies ranis ſuprema fuiſſet.
At dea jam tantas clades pertæſa videndi
Sic affata Iovem eſt: ô qui mundi arbiter æquus
Numine perpetuo rerum, vel quicquid Olympo,
Vel quicquid terrâ geritur, moderaris habenas,
Et tam ſanguineæ ſpectas jam prælia pugnæ;
Nunc bellum hoc ceſſare velis; neu funera divos
Cœleſtes oculis ultrà tot dira tueri:
Heu miſeros nimium terræ ſine fine labores!
Quas ferrò ſtrages; quot vulnera ſæva cruenti

Edidit

Edidit hîc Martis rabies! en cædis ubíque
Indicium, & tanti ſignum lachrymabile belli:
*Sternitur omne ſolum telis; cruor undíque campis Æn. 9
Purpureis undat rivis; montíſque ſupernè
Æmula conſcendunt denſata cadavera cœlos.
Necdum etiàm tanto ſatiatus ſanguine miles
Sævit adhùc, armíſque ferox in vulnera pergit.
Sat furijs, iræque datum eſt: jam deníque victas
Reſpice; & indomitas hoſtis diſpeſce phalanges.
Sunt tibi Cyclopum manibus Vulcania tela
Facta, Gigantæas poteras quêis vincere turmas:
Mille tibi ſunt monſtra polo; tibi mille tremendæ
Formarum ſpecies: terrorem hìnc incute ſævo
Victori, tantóſque metu compeſce furores.
Audijt Omnipotens, oculis cùm ſidera luſtrans
Serpentem inter ſigna videt cœleſtia *Cancrum*;
Quem ſimul ereptum de ſedibus ætheris alti,
Cœlitùs intorſit nebulis, ſubitóque fragore
Subjectas moto in terras demiſit Olympo:
Ille ruens per inane ſuper media agmina magno
Cum ſonitu venit; atque ſolo jam redditus imo
Lentè inter denſos obliquo tramite greſſus
Flectit, & horrendum ſe ſe ſpectantibus offert.
Olli diſcurrêre citi, & converſa dederunt
Terga fugæ. Summo jam declinabat Olympo
Phœbus, & alterno veſper caput extulit ortu:
Quem mòx atra ſequens caliginis umbra, diëi
Impoſuit finem; qui pugnæ terminus idem eſt.

FINIS.